



V
B
J
C

ΣΚΌΛΟΨ

Seu

PALUS PAULI,

cuius II. ad Corint. XII. ℣. 7. fit mentio,

Post Historicam Recensionem Explicationum plerarumq; aliarum omnium, Et modestum earundem Examen,

Ex Convenientiore quâdam Allusione, & Usitatâ apud Chaldæos In voce DARBAN, quâ Stimulus aliàs vocatur, Significatione,

DILUCIDE OSTENSUS:

Exquisitione & operâ

GEORGI VECHNERI SS. Th. D.

*

* * * *



LESNÆ POLONOR:
Apud DANIELEM VETTERUM. 1644.

ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO,

DN. ACHATIO BURGGRAVIO & BARONI à DHONA,

CONSILIARIO

SERENISSIMI ELECTORIS BRANDEBURGICI

Intimo dignißimoq́;

Domino & Patrono ſuo Gratioſiſsimo.



ILLVSTRIS AC GENERO-SISSIME BARO AC DOMINE, DOMINE AC PATRONE GRATIOSISSME:

Quod privatis hactenus sermonibus non rarò inter familiares fui professus, Esse à Pientissimâ Clarissimi Viri, D. Abrahami Sculteti, *Macaritæ Animâ, Hæreditatem quasi geminam, emortuali quodam voto, peculio meo transscriptam: id libet nunc publicè, tabellâ hac, coram quibusvis, memori gratoq; animo testificari. Nempe alterum hoc fuit, quod sanctè commendatum mihi suo Exemplo, nec sine Exhortatione piâ, volebat Vir meritissimus: ut in Scripturæ Sacræ locis involutioribus, opportunâ quadam luce illustrandis, Philologicam post se diligentiam potiùs exercerem: quàm Rixis Contentionibusq; illis paterer me involvi,*

ad exædificationem Pietatis Charitatisq́; Chriſtianæ heu nimis parum proficientibus. Alterum erat, ut quod ex Illuſtribus ac Generoſiſſimis Burggraviis, BARONIBUS à DHONA, Patrocinium ipſe eſſet in cultu Optimorum Sanctiſſimorumq́; ſtudiorum, ſub rebus etiam quaſi conclamatis, eximiè ſemper expertus, ejus Succeſſionem aliquam deinceps mihi indubitatò pollicerer, de ſuo Experimento, Clientem me poſt ſe velut hæreditarium, haut fruſtrà profeſſurus.

Neutra Hæreditatis huiuscemodi portio, potuit mihi non eſſe acceptiſſima. Altera quidem, quòd indoli meæ congruenter deſtinata videretur: ut in Eloquiis Divinis meditandis, Voluptas mihi eſſet ſumma. Altera, quòd conditioni afflictæ meæ, in quam per ψυχοτυραννικὸν διωγμὸν illum fui detruſus, ſolatium ſic opportunum videretur fore paratum: ut à præmaturo illo, & heu nimis rebus optimè ſanctiſſimeq́; fundatis detrimentoſo, Illuſtris Baronis SCHÖNAICHII b. m. deceſſu, ſub remotiore etiam Cœlo Patronum ſupereſſe mihi usq́; agnoſcerem Gratioſiſſimum.

Et

Et fuit verò vel supervivente etiam SCULTETO, *Illustrium Heroum, Dn.* CHRISTOPHORI, *itemq́ Dn.* ABRAHAMI, BURGGRAVIORUM *à* DHONA, *Gratiositas, proxenetâ illo, ita in me proclinata: ut gratulari mihi eo nomine, haut temerè quiverim.*

Posteaquam iidem autem, ex ærumnabili hoc seculo, in portum concessêre Tranquillitatis Beatæ, tum Tu verò HEROS ILLUSTR. AC GENEROSISSIME, *ita me, absentem etiam, & nec oculis usurpatum, amplecti gratioso animi intuitu annutuq́ cœpisti, ut non tam adeundam Hæreditatis dictæ portionem hanc, apud Ill. Gen.tat. Tuam senserim, quàm eam pronâ ultroneâq́ Benevolentiâ quadam ac Benignitate, ex ipsâ I.G.T. defluere ac quasi devolvi in me sim expertus.*

Dum verò quantum per Calamitates Exilii sic licuit, id de priore illo Sacri Hæredii transscripto, etiam usq́ curæ habui: ut aliqua pro Scripturæ locis nonnullis, dilucidiùs percipiendis, nuperis temporibus sim elucubratus: visum nunc quoq́ est, mo-

rem tenere Legatoris illius mei beati, *ut Meletematum illorum meorum aliquid ad Patronum deferrem, quem ipse ille transscripsit mihi quoq́; DEus autem, ter Benignissimus, ex Trigâ illâ Perillustri ac verè Generosâ Fratrum* DHONEORVM, *clementer unum superasservavit.*

Cùm id quidem mecum repeto, quibus rationibus inductũ se scribat, SCULTETUS *b. m. ut* Exercitationũ Evangelicarum *suarũ Libros illos duos, qui lucem vidêre, Illustri ac Generosissimo Dn.* ABRAHAMO, *Fratri J. G. T. desideratissimo, inscriberet, potiores eadẽ omnes in J. G. T. etiam mihi sese offerunt.*

Liceat adeò mihi, gratissimæ recordationis Alloquium, quo ille tum usus fuit, ad Heroem μακαριστὸν, *Fratrem Generosissimum, in inscriptione suâ, idem ad J. G. T. tanquam modis potioribus omnibus ejusdem similem, & Virtutibus ipsis etiam verè germanum, hic mutuò accommodare, & mutuatione quoq́; istâ hæredem me, hacce etiam parte, Macaritæ illius, non genuinum tantùm, sed eventu ipso etiam plenè felicem, tanto luculentiùs probare.* Quæ-

Quærenti igitur (*utor stilo inde prorsus mutuatitio*) *quærenti, inquam*, animo, Virum Illustrē, qui Philologicis & Theologicis huiusmodi meditationibus delectaretur, Tu Generosissime DOMINE, primus *summusq;* nunc occurristi. Tibi non tantùm datum est, intelligere sinceram Theologiam, verùm etiam, (quod longè divinius,) secundum eandem, ex præscripto Magni Apostoli, σωφρόνως, δικαίως, εὐσεβῶς vivere. Tuam in DEum *Pietatem*, ardentes in cœlum quotidie missæ Preces; *Charitatem in proximum*, Christiana συμπάθεια &, (*quæ Justitiæ ab Apostolo designatæ pars maxima ex dialecto sacrâ ac Syriacâ intelligi potest*) Liberalitas Munifica, quâ tot Exulum miseriam sublevas; *Continentiam*, *seu* σωφροσύνην perpetua in cælibe vitâ Castitas, Temperantiaq; loquuntur. Ac quoniam itidem non ignoras, lampadem FIDEI, oleo lecti & meditati Verbi Divini deficiente, facilè extingvi, idcirco in Meditatione LEGIS DOMINI frequenter *indesinenterq;* occuparis, & necubi in eâ hæreas, optimis

qui-

quibusq; Bibliorum Interpretibus Bibliothecam tuam, (*multò illam ex Fraternâ etiam Hæreditate antehac instructissimam*) *ulteriùs* exornas, qui Tibi obscura illuminent, difficilia explicent. Quem scopum cùm mihi in Tractationibus plerisq; meis præfixum habeam, *& jam pridē expertus sim, non dedignari eas J. G. T. lectione suâ sveviße: nunc quidem*, dubitare nec possum, *quin ejus, quam modò expromo, de* PAULI PALO TRACTATIONIS *Lectio*, haut ingrata quoq; sit futura.

Jam verò ea sunt etiam J. G. T. in me merita, ut ingratus *porrò viverem, vel etiam (uti in Domini arbitrio momenta vitæ meæ omnia eße posita agnosco quotidie)* morerer, *nisi absq; comperendinatione, & jam nunc aliquid pro tenuitate meâ redhostirem.*

Offerro itaq; J. G. T. non manipulum tamen confertum, qualem Illustri macaritæ germano, SCULTETUS, *in* Exercitationibus Evangelicis, *antè dictis, sed Spicam duntaxat aliquam, de agro Sancto illo, non sine quadam tamen curâ & meditatione,*

post

poſt uberrimam aliorum meſſem, à me disquirendo repertam.

Eam autem tantò magis ſpero J.G.T. fore acceptam ac gratam, quantò haut dubiè & Ipſa, Ecquid Paulus per Σκόλοπα *illum vellet, quem ſibi datum eſſe profiteri non erubuit, attentiùs meditata ſecum ſæpe fuit: atq; Eadem hîc animadvertet, rem iſtam exquiſitiùs (* ἀβασκάντως *ſcripſero) poſt explicationes aliorum quascunq;, in pagellis hiſce me ſtuduiſſe dare evolutam.*

Saltem illud etiam, in ſingulariâ hac loci unius Tractatione benè usq; me animat, quòd J.G.T. ex SCULTETI *ſuffragio nec in me improbaturã illud cenſeã: quod* Arnaldus Caſaubonus *(attigi nuper alibi, ſed nec hîc indignum alienumve idem videtur, quod repetam) Filio illi ſuo* Iſaaco, *Philologorum Seculi noſtri Coryphæo, in Diogenis Laertii illuſtratione ſibi oblatâ, regeſſit. Scilicet, Amplexari quidem iſtam ſeſe eius induſtriam: ſed gratiorem tamen multò rem ita ſibi abs eodem præſtitum iri, ſi vel unum aliquod Scripturæ S. Dictum, difficultate obſcuritateve involutum, benè*

dilucideq; explicatum dederit, quàm si Scriptorum Profanorum loca vel millena à depravatione obscuritatéve vindicârit.

Sed & unum illud περὶ τοῦ Σκόλοπος *illius, apud Paulum, tam intricatum hactenus Comma, sic pertractatum J. G. T. hîc spero animadvertet: ut quæ in connexis obveniunt verbis, minùs antehac à plerisq; item presse excussa, sic omnia simul agnosci possint haut obiter eâdem tractatione esse illustrata.*

Me quidem Gratiosus G. T. J. Favor sic hactenus animat, & Benevola Spicæ huius susceptio, porrò sic spero animabit, cum Bono DEo (qui J. G. T. diutissimè etiam bene servet rogo:) ut manum de hinc nec à stivâ hac sacrâ, quoad DEus annuerit, temerè sim retracturus.

Scribeb. Lesnæ. Polonor.

Nonis Maj. An. M.IↃC.XLIV.

Illust. & Generosissimæ Vestræ Gratiositati

Obsequio Votoq; omni Dicatissimus

Georgius Vechnerus
SS. Th. D.

AD LECTOREM
Benevolum atq; Eruditum.

ANimadverti à tempore jam non proximo, poſse Paulino loco illi, inter Theologos vexatiſsimo, ubi, (ut *Vulgata Verſio*, habet,) *Stimulum carnis ſibi datum*, ait, lucem accendi non exiguam, ſi *Occaſio*, ſi *Scopus*, ſi *Verba*, ſi *eorundem Structura*, ſi *Vis Vſusq; ex Ebræo Chaldæoq; idiomate*, ſi deniq; *Res ipſa*, quibus partibus clarè proponitur, attentiùs reſpiciatur: tum verò familiari colloquio Amici cuiusdam, qui loci eius obſcuritate ſe propemodum torqueri, profitebatur, pronuper incitatus ſum: ut calamum adhibere ſtatuerim ad ea in ſchedas regerenda, quæ perſpexiſse mihi, pro illuſtratione Textus tam caliginoſi, videbar.

Atq; animus primùm erat, agere id pauciſsimis: ut philurâ quaſi unâ complecterer, quicqud ſic eſsem meditatus. Cùm cœpi autem manum admovere, & mentem penitiùs excutere, atq; quid ſeu *Veteres*, ſeu *Juniores*, de eâdem re afferrent, connotare, deniq, & iſta ad obruſsam Divinarum Literarum & Sanæ Rationis contendere: philura, mox una alteri adjicienda venit. Vbi tandem ſic juſtum aliquod operæ pretium mihi facturus judicabar, ſi Complexionem Narratio-

tio-

tionis ejus totam illustrarem, excrevit mihi præter spem, in tot istas paginas, quot nunc comparent, pauculorum versuum istorum pertractatio.

Displicuit prolixitas ea postmodùm, mihi propemodùm etiã ipsi. Sed Amicorum tamen, eorumq; nec ineruditorum quorundam judicio, ita contruncanda, aut saltem circumcidenda hæc lucubratio non visa est quoq; : ut injuriam censuerint aliqui, bonis haut paucis me facturum: nisi nativâ amplitudine suâ eam exponerem.

Nempe sic illi rebantur, ut aliqui sint, quibus tria verba sufficere queant, ad loci etiam huius subdifficilis dilucidam perspectionem: esse multò tamen plurimos, qui exegesin requirant benè deductam, atq; vel iteratis & subinde variatis verbis rem eandem exprimentem: esse nec raros, qui à libris destituti, Patrum præsertim, & Auctorum hodie minùs parabilium; cupiant legere verba illorum, bonâ cum fide transcripta; non putent satis sibi fieri, si locorum desideratorum, aliquod duntaxat fiat indicium: esse deniq; nonnullos etiam, qui ad Praxin simul aliquam deduci aveant; in nudâ sensus Expositione, ægrè acquiescant.

Quibus cùm gratificaturus sic fermè omnibus viderer, si Tractationem illam, uti sub

manu mihi erat nata, expromerem indelibatam: volui nihilominus in Tractatione eâdem consulere illorum gustui quoq;, qui per titulos ferè & breviaria quædam, quod edisseritur, vidisse satis habent. His quidem id destinavimus, quod Dissertationem totam, per Sectiones suas, & iisdem appositas Comprehensiones Summarias, distributam, exhibemus: ut compendium facere possint temporis, ubi moram tædiumve facessere posset continuata lectio. Quamvis & illis, discriminatio ea protractæ Tractationis, usui sit futura, quibus ante lectionem eorum, quæ fusiùs disseruntur, argumenta brevia, velut facem præferunt, ad expeditiorem eorum, quæ subjunctim dicuntur, intelligentiam.

Sic visus quidem sum mihi, velut arte accommodâ, tranquillaturus, etiam in hoc cibandorum animorum negotio,

Poscentes vario multum diversa palato:

cùm mecum etiam ambigerem, ut Venusinus Poëta olim,

Quid dem? quid non dem? Renuis tu, quod jubet alter:
Quod petis, id sanè est invisum acidúmq; duobus.

Saltem autem duûm generum Lectores habebunt, quod non omnino hîc aspernentur. Qui populariùs de re disserere avent, aut aliter nec agere pro auditorum suorum captu,

neces-

necefsum habent, illi in Palo, ex *Lutheri* mente hîc clarè fatis, fpero, expofito, invenient, quod plebi proponant accommodatè magis, quàm ea proponi ferè pofsunt, quæ vulgò per nudam Opinionum variarum commemorationem, aut incredibilem quandam rei exaggerationem, occinuntur. Certe *Scopi genuini*, (adhibitá exponendi ratione ifthac,) minùs dememinifse, vel ipfi poterunt, vel alios facient: quod nimis eft proclive fieri, ubi in *ftimulo, furculo, palóve*, nefcio quæ potiùs confideratio alia affertur, quàm quæ refpectum habeat ad Elationem cohibendam prohibendamve.

Qui exquifitius aliquid etiamnum de *Scolope ifto* volent, hi verò, de dictione Chaldaicá, jam olim in ufum Lingvæ Græcæ vim fuam quoq; tranfmittente, nec ipfi non invenient, quod peraccommodum ad tractationẽ accuratiorem agnofcant. Ifthoc quidem modo, fpero, σκόλοψ ille multò intelligetur, quàm ante hac factũ eft, (præfifcinè), planiùs, dilucidiùs, accommodatiùs.

Vix puto ulli fic non dilucidè clarebit, ex Chaldaicæ illius fignificationis æftimatione, ad Græcam vocem hîc accommodatâ, quàm appofito præpofitu ΣΚΌΛΟΨ τῇ σαρκὶ dicatur Angelus Satan, poft Revelationum illam ὑπερβολὴν, Elationis prohibendæ caufâ Paulo addi-

additus. Ubi enim prolapsio in vitium aliquod, eaq; perquam in publicum noxiosa, in Homine aliis præituro ac præfuturo, metuitur, quid fieri de eo convenientiùs intelligitur, quàm si Præfectus rigidior aliquis illi adstituatur, qui pœnâ velut perpetim intentatâ abstineat, atq; sic ceu *Palo*, *Stimulo*, *Sude*, *Flagellóve ostenso*, Coercitor illi fiat, ne per Carnis imbecillitatem, Occasionumq; proclivitatem, exorbitet.

Quin, si qui voluerint ab istis esse tertii aliqui, inventuri nec hi non erunt, quod per σκόλοπα intelligant, *quâcunq; etiam Versione adhibitâ*: dum illa tantùm verba, τῇ σαρκὶ, ita accipiant, ut non carni infixum, impactumve aliquid notetur, sed aliquid carni absterrendæ coercendæve ab Elatione, appositum.

Omnes autem istos, id communiter observasse necesse fuerit, (quod Explanatores ferè nulli antehac monuêre, uti nec Interpretes etiam, particulâ commodè aliquâ adscitâ, ulli innuêre,) ut σκόλοπος nomen hîc non primò & per se spectandum esse agnoscant: sed ad Angelum Satan referendum esse cogitent. Qui Angelus Satan datus *seu additus* Paulo primò significatur: Quid, Qualisve autem Paulo, ejusve potiùs definitim Carni, ille fuerit, per verba, σκόλοψ τῇ σαρκὶ designatur. Quæ adeò verba, quâ collatione, quâ figuratione sic hîc con-

congruentissimè accipi possint, satis, spero, à nobis ostensum deprehendetur.

Genuino loci hujus sensu ad modum istorum aliquem liquidè perspecto, nulli opinor erunt, qui non agnoscent, quàm alienum sit, vel *Stimulos* hîc sibi imaginari *Venereos*, quibus Apostolus fuerit, ceu œstro quodam, subinde agitatus; vel *Tentationem* fingere aliquam, qua fuerit ad peccatum aliquod irritatus. Id sanè quod verba, ex *Occasione, Scopo*, ac *Circumstantiis potioribus omnibus*, æstimata, prophylacticum quoddam extitisse docent, adversus peccatum, longè ab eo distat, quod incitamentum esse ad peccandum intelligitur. *Allectationis* cujusdam fuisse, malè fingitur, quod *Castigationis* esse potiùs erat agnoscendum. Terriculum, illicium non est.

Examinetis tamen rem omnem istam penitiùs, qui cùm *Iudicio* ac *Dexteritate* agere id potestis.

Nec temerè verò de eo etiam consideratè meditabimini, cur Ἄγγελον σατᾶν, quem Apostolus uno hoc loco sic nominat, cum Angelo conferri illo monuerim posse, qui Bileamo opponebatur, *lesatan*, ut Ebræum verbum habet: cùm interim Angelus Jehovæ ibidem nominetur. Occurret exquirendum hîc aliquid, quod antehac vix fuit in verbis istis observatum.

Quid

Quid de verbis in narratione eâdem aliis notari mereatur: (ut τὸ ὑπερετήρωμαι accipiatur per modum *Conjugationis*, quæ Ebræis dicitur *reciproci sensus*, sitq; tantundem, ac *Me Efferam*: ut τὸ ἰδόθη accipiatur pro verbo composito, sitq; tantundem ac *Additus*, seu *Adjunctus*: ut τὸ κολαφίζῃ per *Modum Potentialem* exponatur: sitq; tantundem, ac, Percutere me pugno valeat, seu debeat: ut τὸ ἐπισκηνώσῃ secundum suam singularem propriamq; emphasin percipiatur, allusionemq; tabernaculi superiùs protensi innuat: ut alia deniq; complura, non ita obiter transmittantur): Philologiæ sacræ Studiosi, puto, cũ jucunditate etiã, animadvertent: si pervolvere schedas, quas sic offerimus istas, atq; ad finem, cũ attentione animi, perlustrare voluerint.

Quæ-quæ sic autem puncta tulerimus, Lectoris ullius judicio, si propè etiam nulla illa fuerint, nobis hoc satis est: Quòd locum Scripturæ istum, magnæ ab omnibus difficultatis judicatum, sollicitè scrutando illustrare; atq; sic eo dilucidè illustrato, prodesse aliis, opellâ non superfunctoriâ, studuerimus.

Quod quidem ab initio Tractationis egimus, ut Explicationes aliorum quascunq; tentaverimus Historicè præmittere; easdemq; sin-

singulas modestè examinare: id spero non improbabit temerè, nisi qui ignorârit prorsus quàm sit benè prudenterq; à *Plutarcho* monitum, in Comment. de Virtute Morali: Vbi, *Expedit*, inquit, *breviter aliorum Sententias percurrere, non tam Recensionis gratiâ, quàm ut iis priùs expositis, nostra & Evidentiæ plus habeant, & Firmitatis.*

ἐῤῥώσθω.



De

De
PAVLI PALO, à G. V. D.
Admodùm dilucidè ostenso,
Epigramma
ad Lectores.

FErtur Alexander Macedo, non arte sed ense,
Nodum amputâsse Gordium,
Spe sceptri Phrygij plenus, casuvè, modove,
Sic occupandi, quolibet:
Vt sæpè heroum temerarius impetus id, quod
Optare nescit, obtinet.
Haut ita Vechnerus *noster mysteria spemq;*
Regni futuri discutit:
Sed fontes, causas, fines & pondera rerum
Metitur ac examinat
Iudicio Logico, veri sensus ad amussim
Sanctiq; ductum Spiritus,
Prævia per Christi vestigia; nota Prophetis,
Apostolis & Patribus,
Ex scriptis verbisq; DEI: quibus alma Fides se
Sustentat atq; Veritas.
Res patet in Pauli Palo Satanaq;, domandæ
Carni imminente, plus satis:
De quibus hic Autor prudens ita disserit, ut nil
Desideretur amplius!
Ipse etiam, satis attentè qui legeris hæc: nil
Desiderabis amplius.

appos.
Henricus Walther P. Cor. Cæsar.
Dn. Auctoris prosocer.

PALUS PAULI,

Cuius mentionem ipſe facit, in poſteriore ad Corinth. cap. XII v. 7. & ſeqq.

SECT. I.

Vti Textus ille Sacer revera habeat, in quo P*AVLVS* *meminit* Pali cujusdam, *quem hactenus vix planè ſatis habemus explicatum.*

JAm inde ferè ab Apoſtolorum temporibus, exercuit haut parùm, Lectores Commentatoresq; ſacros, Locus apud *Paulum* ille, ubi *in poſteriore ad Corinthios Epiſtolâ, XII. cap. Verſu Septimo, & qui ſequuntur,* de ſe ſcriptum reliquit:

7. Καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύ-
ψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι, σκό-
λοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος Σαλὰν, ἵνα με
κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.
8. ὑπὲρ τούτου τρὶς τὸν Κύριον παρεκάλε-

σαι, ἵνα ἀποςῇ ἀπ' ἐμοῦ. 9. Καὶ εἴρηκέ
μοι, Ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δύνα-
μίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται. 10. ἥδι-
ςα οὖν μᾶλλον καυχήσωμαι ἐν ταῖς ἀσθενεί-
αις μου, ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις
τοῦ Χριςοῦ.

Atq; ſic Græci Codices potiores omnes habent, nullâ uſquam lectionum varietate aliquâ comparente: cùm *Rob. Stephanus*, exemplaria ſedecim ſcripta diligenter contulerit, & quicquid illa habuère diſcrepantiarum, in eâ Editione, quæ *An*: 1550. *Lutetiæ*, ex Regiâ Bibliothecâ prodiit, minutim expreſserit.

Nihil admodùm etiam â Græco recedit *Metaphraſis Syriaca*, quæ longè omnium Antiquiſsíma, ab Eruditiſsimis quibusq; agnoſcitur: ſive illam, uti â Gvidone *Fabricio Boderano*; ſive, uti à *Franciſco Iunio*, Latinè redditam habemus, intuearis.

Fabricius quidem ſic habet: "*Et ne efferrer excellentiâ revelationum, datus eſt mihi ſtimulus in carne meâ, nuncius Satanæ, ut colaphis cederet me, ne efferrer. Super hoc ter obſecravi Do-*

mi-

minum meum, ut discederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: Siquidem virtus mea in infirmitate perficitur. Lubentissimè igitur gloriabor in infirmitatibus meis: ut obtegat me virtus Mesehiho.

Iunius autem: *Et ne extollerer propter excellentiam revelationum, traditus est mihi stimulus carni meæ, angelus Satanæ, ut colaphis caderet me, ne extollerer. Super hoc ter petii à Domino, ut removeret à me. Et dixit: Sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitatibus perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut protegat me virtus Christi.*

Quæ omnia Græcis satis propè congruunt, nisi fortè, vocem *Schephaja*, quam uterq; etiam interpres *stimulum* reddit, pressiùs ad Græcam, σκόλοψ, expendendam fuisse statuas: & *Iunium* propiùs Syriaco textui ibi accessisse agnoscas, ubi simpliciter reddidit, *Carni meæ*, quàm *Fabricium*: qui reddidit, *in carne meâ*: cùm in Syriaco, litera legatur tertii, non sexti casus index: ut ut pro *Fabricij* interpretatione, *Iunius* in Scholiis etiam faciat. Alia minutiùs hîc observare, supervacuum censeri posset: id unùm prætereundum non est, quòd, ubi *in Græco*, articulus nomini Σατὰν nullus additus legitur, *in Syriaco* addita reperitur litera, quæ casus se-

cundi est index : *Malache de satana,*

Sic *Græco* Textui cùm *Syrus* propinquè propemodùm per omnia accedat : *Vulgatus* tamen *Latinus Interpres*, aut Græcum Textum habuit, ex parte ab illo, quem præmisimus, variantem; aut, si eundem prorsùs habuit, seu supiniùs illum inspexit, seu licentiosiùs sensum verborum exprimere ausus est: cùm reddidit: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis: ut inhabitet in me virtus Christi.*

Nemo, puto, non facilè perspicit, ex casu sexto, *magnitudine*, seu *excellentiâ*, factum esse primum, *magnitudo*; ex casu tertio, *carni meæ*, factum esse secundum, *carnis meæ*; deniq; ut præermittamus alia, omissam esse repetitionem verborum, *ut extollar*; item voculam, *mea*, ubi virtutis fit mentio. Quæ quantú expendisse referat, suo posteà loco patebit.

Ipsa quidem Vulgatæ Versionis verba, ex Antiquioribus usurpare *Cyprianus* videtur: bis tamen, dum ea repetit, id semper, post colaphizandi verbum, addit: *ne extollar:*

tum

tum *de Mortalitate* *ſ. 9.* tum *lib.* 11. *Teſtim. ad Quirin. ſ. 6.*

Tertullianus, ubi Vulgato Interpreti, & aliis, adhibitum eſt *ſtimuli* nomen, *ſudem* ſemper dixit, quoties eius loci meminit: ut videre eſt *lib. de Fugâ in Perſec. cap.* 2. Et *lib. de Pudicit. c.* 13.

Auguſtinus, in Quæſtionibus Super Judicum n. 6. á Vulgata ſic quoq; abeſt: ut habeat: *colaphizantem Angelum Apoſtolo eſſe datum, ne magnitudine revelationum extolleretur.* Proximioris ævi Interpretes, cùm â Græco recedere minimùm voluerint, ſic tamen, ubi σκόλοψ τῆ σαρκὶ nominatur, variant: ut *Fabro Stapulenſi*, placuerit, *flagelli* nomen: dum habet: *flagellum carni, Angelus Satan.*

Eraſmo, ſtimuli quidem nomen retentum eſt, uti & *Caſtellioni*, ſed ille reddidit tamen, *Ne excellentiâ revelationum ſupra modum efferrer, datus fuit mihi ſtimulus per carnem, nuncius Satanæ*: hic, *Ne ob patefactionum præſtantiam me nimis efferam, appoſitus eſt mihi ſtimulus carni, angelus Satanæ.*

Beza, dum primis verbis Eraſmum ſecutus eſt, pro ſtimulo, *Surculi* nomen adhibuit, atq; olim reddidit: *datus eſt mihi ſurculus infixus carni & angelus Satanæ*: poſteriori-

bus annis, pro & reposuit, *nempe.*

Germanis Interpretibus, *Luthero, Tigurinis, Polano*; visum est *Pali* nomen congruentius esse: (Ein Pfal) verbaq; τῇ σαρκὶ, reddere, inß fleisch, ut palus carni impactus notetur: quod Tigurini tamen reddidêre, meinem fleische: qui etiam habent, des Teufelß bote, ubi alii habent, des Satanß Engel. *Emserus*, vulgatam Latinam secutus, habet, Der stachel des fleisches, nemlich der Engel deß Satanß.

Belgæ, in Versione cum *Marlorati* notis conjunctâ, habent, een sprute in het vleesch: In Recentissimâ, atq; Exquisitissimè elaboratâ, een scherpe dorrn in hett vleesch: nominiq; Angeli Satanæ, præposita idem particula, nemlick, nempe.

Angli habent, *a thorne in the flesch*: *Galli*, *une escharde en la chair*: quod Bezæ judicio idem est, ac *surculus*.

Iohanni Cameroni, locorum Scripturæ involutiorum explicatori felicissimo, σκόλοψ est *assula*, vel etiam, *quicquid acuminatum corpori humano infigitur*, undè nascitur dolor acutissimus: ut inquit, in Mirothecio.

Qualiscũq; sic autẽ ista Interpretationũ diversitas, maior est multò in Explicationibus, olim hodieq; prolatis, varietas. De quibus

bus absq; re ſpero non erit, videre, quæ ſint, quidq́; ferant, ſi conſideratiùs excutiantur: ut ſic tandem exquiramus, quid ſecundum Contextus eius veſtigia deprehendi, ſecundumq; Scripturæ Sacræ obruſsam probari poſsit.

SECT. 2.

Quæ potiſſima in loci ejus Explicatione hærendi, aberrandive cauſa fuerit.

PLeriq; ſic omnes Interpretum, partim olim minus habuêre penſi, quòd in Græco non dicatur σκόλοψ τῆς σαρκὸς, ſed σκόλοψ τῇ σαρκὶ; partim hodieq, non ſatis animum advertêre, ad connectendi rationem, & interpungendi, quæ in verbis iſtis, ubi σκόλοψ τῇ σαρκὶ nominatur, venit obſervanda, & tanquam verbis pariter rebusq; accomoda congruaq; agnoſcenda eſt.

Vniverſi ferè verba ea, uti in Textu ſe conſequi cernuntur, reſpicienda & expendenda putavêre: Atq; cùm primò nominetur σκόλοψ τῇ σαρκὶ, inde poſteà ſubjungatur, ἄγγελος Σατᾶν, in illud ante omnia incubuêre: ut explicarent primò, quid *Stimulus ille carnis* (uti pars maxima Latinorum vocem Græcam illam reddidit) denotaret: deinceps de-

mum seorsum, quid *Angelus Satanæ* vellet, & quo isthuc modo referretur, expenderunt: cùm respiciendum, seu vi structuræ Græcanicæ, seu propemodùm rei ipsius ductu, præcipuè fuisset, ad *Angelum illum Satanæ*, deq; eo postmodùm videndum, quâ ille ratione, σκόλοψ τῇ σαρκὶ fuisse, dici posset. Quod si cui fortè minùs etiamnum planum hoc loco, certúq;, dum simpliciter sic affirmatur, existere videtur: puto fiet id multò deinde planissimum, quantumq́; satis esse poterit, certum, ubi congerie quadam exemplorum ostendetur, eam structuræ rationem, in humanis pariter divinisq; literis, esse admodùm tritam: rei autem præsenti vix aliud congruentius etiam cogitari posse, ac quod hoc declarandi illustrandive modo intelligendum tandem venerit. Quamvis & solo istiusmodi connexionis & consequentiæ indicio apud perspicatiores opus sit: ut agnoscant, vix aliter quadrare verba hæc Apostoli inter se rectiùs, quàm si Paulus cogitetur dicere, *datum sibi esse Angelum Satanæ, qui fuerit* σκόλοψ τῇ σαρκί.

Sed de eo posteà, ubi nunc antea viderimus, quid senserint, vel opinati fuerint, qui sic directè primoq; respiciendum sibi putârunt in verbis hisce, *ad Stimulum carnis*, seu σκόλοπα τῇ σαρκὶ, quem Paulus vocat.

SECT.

SECT. 3.

Σκόλοψ Pauli Auguſtino *alicubi vix perſpectus, quid ſit: ab* Aliis *ad* Cruciatum *quendam, ſeu* Morbum *corporis relatus, eumq; â diverſis diverſum.*

A *Vguſtinus*, cùm alibi aliter de re eâdem diſserere videatur, *libro de Nat. & Grat. contra Pelagianos c. 27.* quid ſit ille Pauli ſtimulus, ſe haut omnino perſpectum habere, ſignificat, cùm inquit: *Proculdubio firmiſsimum volebat Apoſtolum efficere* (Deus) *cui tamen dixit, virtus in infirmitate perficitur: & non ei toties oranti auffert neſcio quem ſtimulum carnis, quem ſibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur.* Quamvis ſic innuat propemodum, judicare ſeſe, ſtimulum illum ita fuiſse comparatum, ut aliquid cum peccato conjunctum habuerit: quàm ut prorſus ſe id neſcire dixerit, uti quidem *Cornelio â Lapide* viſum eſt.

Pleriq; aliàs inter Antiquos Eccleſiæ Doctores, (quod ab *Auguſtino* etiam ipſo ſit alio loco) utut idem, quod referunt, non perinde omnes probent, commeminerunt ferè, fuiſ-

fuiſse jam illis temporibus, aut etiam antè ipſos, qui ſtimulum carnis de *Cruciatu* quodã *corporis*, ac *Morbo* fuerint interpretati, qui Apoſtolo familiaris extiterit.

Ita *Tertullianus*, *Dolorem Auriculæ vel Capitis*, ex quorundam opinione denominat, per quem anima non aliunde, quâm ex ſummâ Sanctitate & ex omni Innocentiâ elata, fuerit in Apoſtolo cohibita: ut loquitur *lib. de Pudicit.* c. XIII,

Baſilius M. in Aſceticis, cap. LV. ubi de Arte Medicorum exquirit, An operâ illorum uti non repugnet Pietatis ſcopo: tum id monet generatim primô, Sæpenumerò, ubi diſciplinæ gratiâ incidimus in morbos, id judicii â Domino in nos ferri, ut pars quædam diſciplinæ ſit, moleſtam ferre curandi rationem: tum verò ſpeciatim deindè immiſsi Iobo â Satanâ morbi meminit, itemq; ulcerum Lazari: atq; tandem Apoſtolum etiam, tanquam ſimili aliquo malo, per Satanæ infeſtationem affectum, ſubiungit: inquiens; *Invenimus verò & aliam quandam infirmitatum cauſam, quæ ſanctis contingant: ut patet in Apoſtolo. Etenim, ne videretur conditionem humanæ excedere naturæ, & ne quis ipſum ſingulare quiddam in naturali conſtitutione & excellens habere putaret, quemadmodum faciebant Li-*

cao-

caones, coronas ac tauros ad offerendum adducentes, ad evidens naturæ humanæ argumentum, abundè satis infirmitati erat obnoxius.

Augustinus in Expositione Psal. CXXX. definitim aliquid de stimulo, quem alibi se nescire innuit, adducens, *Intendite*, inquit, *rem tremendam vobis dico. Propter magnitudinem, inquit Paulus, revelationum, ne extollar, datus est mihi stimulus carni meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Quid est hoc, Fratres? Ne extolleretur tanquam juvenis, colaphizabatur tanquam puer! Et à quo? Ab Angelo Satanæ. Quid hoc est?* Dolore *quodam* corporis *traditur axagitatus vehementer. Dolores autem corporum, plerumq; immittuntur ab angelis Satanæ. Sed hoc non possunt nisi permissi.*

Hieronymus, aliorum item potiùs meminit, quàm ut suam omnino sententiam proferat, & ad *Dolorem Capitis* stimulum referri indicat, cum in Commentariis ad Paulinas Epistolas, quæ ejus nomine venditari solent, ad hunc ipsum locum, *Quidam*, inquit, *dicunt, eum frequenter* Dolore Capitis *laborasse.* Sed & in iis Commentariis, quæ ejus certò esse agnoscuntur, commemorat eandem sententiam, puta *in Comm. ad Gal.* IV. ubi *vers.* 13. Paulus scripsit, *Scitis autem, quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem,*

& ten-

& tentationem vestram, quæ erat in carne meâ non sprevistis, & subiicit; præmissâ expositione aliâ: *Aut certè suspicari possumus, Apostolum eo tempore, quò primùm venit ad Galatas, ægrotasse, & aliquâ corpusculi infirmitate detentum, non cessasse tamen, nec vocem silentio repressisse, quo minus cœptum Evangelium prædicaret. Nam tradunt eum gravissimum* Capitis dolorem *sæpe perpessum, & hunc esse angelum Satanæ, qui appositus ei sit, ut eum colaphizaret in carne, ne extolleretur. Hæc infirmitas & langvor hic corporis, apud eos, quibus annunciabatur Evangelium, tentatio fuit: an contemnerent eum, sublimia promittentem, quem langvoribus corporis subjectum videbant.*

Non reticet eam, de *Capitis dolore* sententiam *Chrysostomus*, quamvis minimè illam probet, tum in *Homiliâ ad Epistolam istam*, XXVI; tum *Homil. de Laudibus Pauli* VI.

Gregorius Nazianzenus, Orationem, quam in laudem Basilii dixit, sic finit, ut conversus ad illum, *Tu verò, sacrum & divinum caput*, inquiat, *nos cœlitus respicias, carnisq; stimulum nobis à Deo ad disciplinam datum, aut precibus tuis sistas; aut persvadeas, ut forti animo perferamus.* Cùm nihil sic ipse explicare, vel definire ausus fuerit, quo stimulum illum (ut reddidit interpres, *I. Billius*) *Nicetas*

Serro-

Serronius, Scholiaſtes, qui ante ſecula nunc quinque, & quod excurrit, floruit, deſignatè annotavit: (n. 105.) *Renum infirmitatem* ſignificari, atq; *Articulorum debilitatem*, *ſive Podagram.* Sic enim, ſubiicit ulterius, locum illum Pauli, de corporis Infirmitate, & non de fomite concupiſcentiæ, Veteres quidam intellexerunt.

Hugo de S. Charo, *Cardinalis*, qui primus in excogitandis Concordantiis Biblicis au-ctor extitiſſe ſcribitur, aliud etiamnum morbi genus nominat, ad quod ſtimulum illum aliqui retulerint, *Dolorem lateris* nimirum, ſive *Iliacam paſſionem*. Cuius mali meminit quoq; ad locum hunc Epiſtolæ Paulinæ *Thomas Aquinas*, inter Dd. Scholaſticos, quos vocant, celeberrimus ille, & nomen Doctoris Angelici apud admiratores ſuos adeptus. Nec reticet eandem *Liranus*, in gloſſis, quas ad libros ſacros ſcripſit, nemini Theologorum ignotis: cùm inquit, dici de Apoſtolo, quòd graviter fuerit vexatus *Iliacâ paſſione*.

Nec defuêre quoq;, qui *Stomachi ægritudinem* quandam hîc intelligendam cenſuerũt:

Facit mentionem quoq; *Comitialis morbi*, aut *Incubi*, vel *Vertiginis* capitis, *Vir Clariſſ. P. Molinæus*, in Vate ſuo, ubi de loco iſto Paulino, diſſerit. Non ille quidem deſi-

definitim Morbum audet nominare, quo cum Paulus omninò conflictatus fuerit: sic interim putat incommoda, quæ circa loci huius interpretationem occurrunt, effugi facillimè omnia, si per *carnem* intelligatur Corpus, & per *stimulum* in carne Morbus aliquis, quo Paulus per intervalla fuerit vexatus. *Sunt n.* inquit, *morbi corporis ad inhibendam animi superbiam accommodatissimi. Quis fuerit hic morbus, an* Comitialis morbus, *an* Incubus, *an* Capitis Vertigo, *nostrum non est definire. Ab hoc morbo, cum Paulus obnixè peteret à Deo liberationem, jussus est absistere hac petitione: quia DEI virtus perficitur in humanâ infirmitate. Sic enim visum esse DEO, uti operâ hominis infirmi, ad promovendum Evangelium: ut gloria tanti successus, non homini sed DEO tribueretur. Eiq; DEus promisit gratiam suam, id est, opem inter infirmitates. Quasi diceret, abundè tibi sit, quòd te non deseram, non infirmitas corporis tui retundet alacritatem tuam in opere Evangelii, aut sufflaminabit industriam, aut successum impediet. Poteftq; eadem promissio aptari saluti animæ, ad quam DEus nos perducit per infirmitates animi & corporis. Cespitamus quidem & claudicamus, in rectâ viâ: ita fit, ut* τὸ χωλὸν μὴ ἐκτραπῇ, *ut claudicans non abducatur à rectâ viâ: Heb:* XII. 13. *Sumusq; hac*

hac in re similes Iacobo, qui claudicans pervenit Bethelem, id est, in domum DEI fortis.

Attexere sic planè hic libuit *Cl. Molinai* verba: ut luculentiùs pateat, quid sententia hæc probabilitatis habere queat: si cui fortè videatur, contextu toto, ut fiet hoc in sequẽtibus, strictiùs expenso, eandem præ cæteris, vel tum etiam, amplexari. Fermè n. fieri solet, ut ob privatas experientias, sicut aliis in locis, ita in hoc quoq; cummaximè, sententia una videatur aliis quibusvis apud nonnullos esse potior. Quibus nihil adeo, quod expẽdere possint, subductum ex oculis volumus. De *Melancholia morbo*, inter Medicos quoq; fuit, qui stimulum carnis, ex hoc nempe Pauli loco, appellitari posse, scripsit, *Nicolaus* nimirum *Kleinfeldius*, *Gedanensis*: *qui* in Appendice ad *Pathologiæ*, quam compendiosam edidit, *lib.* 1, *cap.* 18. *Quadam Melancholia*, inquit, *adeò est contumax, ut omnem curam Medici eludat: quadam suas periodos habet, in quibus angustias cordis consvetas reiterat, cor sua mole premit, & quasi ludibriis vexat: qua vexatio, vel pædagogia carnis, vel aliàs* stimulus carnis *non immeritò nominari potest.* Sed audiendæ sunt, præter eas, quas hucusq; exposuimus, aliæ quoq; aliorum sententiæ.

SECT. 4.

Σκόλοψ *Pauli ad* Afflictiones *seu* Adversitates *&* Hostilitates, ærumnasq, *&* injurias *varias relatus. A quibus & ad quales, tam apud Veteres, quàm apud Juniores.*

SVnt igitur ulteriùs, qui ad *Afflictiones Hostilitatesve* referendum potiùs σκόλοπα illum Angelumq; Satanæ, censent; aut ad *Ærumnas & Injurias*, quas Paulus permultas gravesq; ac acres, in functione sacrâ Apostolatus sui, experiebatur.

Quâ mente *Cyprianum* fuisse apparet, cùm libro *de Mortalitate* (Pestilentiam sic vocat) pulchrè de adversis quibusq;, præsenti animo perferendis, disserit. Inquit initiò: *Ad omnia te paratum facere Timor DEI & Fides debet. Sit licet rei familiaris amissio; sit de infestantibus morbis assidua membrorum & cruenta vexatio; sit de Vxore, de Liberis, de excedentibus charis, funebris & tristis avulsio: Non sint tibi ista scandala, sed prælia: Nec debilitent, aut frangant Christiani fidem, sed potiùs ostendant in colluctatione virtutem: cùm contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium, fiducia futurorum bonorum; &c.* His speciatim de

Paulo

Paulo deinceps subjicit: *Sic & Apostolus Paulus, post naufragia, post flagella, post carnis & corporis multa & gravia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit adversis: ut dum gravius affligeretur, verius probaretur. Datus est mihi Stimulus Carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet, ut non extollar.* Sic lib. 2. Testimon ad Quirin c 6. *Bonos*, inquit initio, *quosq; & justos plus laborare, sed tolerare debere, quia probantur, apud Salomonem: Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis &c.* Ibidemq; subjungit: *De hoc ipso ad Corinthios secunda, Datus est mihi Stimulus Carnis meæ: &c.*

Sic *Chrysostomus*, *Adversarios* seu *Hostes* ab Apostolo hic denotari putavit, quos multivarios atq; graves Deus plerubiq; locorum illi objecerit, *Quod Paulus*, inquit, *hoc loco ait, de Angelo Satan, nempe, hanc habet sententiam: Deus prædicationem late & feliciter progredi non permisit, quo animos nostros demitteret: verum adversarios in nos impetum facere passus est. Hoc n. ad deprimendum fastum vim habet: nō item ille capitis dolor:* (ἐκεῖνο δὲ οὐκ ἔτι τὸ τῆς κεφαλαλγίας.) *Quocirca per Angelū Satanæ, Alexandrum Ærarium, Hymenæum, Philetum, ac deniq; omnes, qui fidei doctrinæ adversabantur, atque cum ipso contendebant, ac bellum*

gerebant, eumq; in vincula conjiciebant, cædebant, ac raptabant, intelligit: *quòd videlicet ea, quæ Satanæ erant, perpetrarent. Quemadmodum n. Iudæos, Diaboli filios vocat, quòd illius opera imitarentur: sic etiam Satanæ Angelum, omnes eos nuncupat, qui fidei doctrinæ obsistunt.* Sic Chrysostomus.

Ambrosius paulò generaliùs, *Hoc ergò remedium datum est*, inquit, *Apostolo, ut injuriis pressus, animo non posset extolli, magnitudine revelationum: quia otiosum pectus necesse habebat in iis, quæ viderat, extolli. Theodoretus, similiter Angelum*, inquit, *Satanæ injurias, contumelias, & populorum insurrectiones Paulus appellavit. &c.* Accedit eidem interpretationi *Oecumenius.*

In *Quæstionibus*, quæ *Operibus Athanasii subjunctæ* leguntur, præcisè item verba ista ad Alexandrum referuntur, Fabrum illum: Hymenæum item & Philetum, verbis ejusmodi, ut Responsio ad Quæst. CIX. videatur ex Chrysostomo depromta planè esse,

In Commentariis, quæ *Hieronymo* adsignantur in hanc Epistolam, per Stimulum Carnis, scribit auctor ille. *Tentationes persecutionum se sustinuisse Apostolus significat.*

Hugo Cardinalis, præter alias quas adducit sententias, intelligi etiam posse innuit,

tormen-

Tormenta tyrannorum, & persecutiones & inopiam rerum, refertq; huc illud *1. Cor. IV.* Esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur.

Faber Stapulensis, in Canonibus Epistolarum Paulinarum, accipit itidem de *Pressuris secundum carnem, quas Malignus, ait, suscitabat adversus Paulum, tam mirificè secundum mentem divinis infusionibus & revelationibus confortatum.*

Erasmus Roterodamus in Paraphrasi, *Permissu propitii Numinis*, inquit, *additus est mihi Stimulus & afflictio corporis, quæ & me mei commonefaciat, & apud omnes me mortalem arguat, communibus obnoxium malis. Additus est autem affligendo mihi, qui rem Christi ago, nuncius ac minister Satanæ, qui meo obstrepat Evangelio, meq; sævissimis persecutionibus divexet: perinde quasi colaphos impingat in caput meum, dejiciens ac deprimens me, ne supra modum extollar.*

In Annotationibus; *Mihi*, inquit, *proximum videtur, quòd ait Ambrosius, Insectationem malorum hominum, quæ illi negotium facessebat assiduè, vocari stimulum.*

Erasmum, κατὰ πόδα sequitur in Commentariis suis *Conradus Pellicanus*, hautq; pauci alii.

Lutherus eodem collimat, cùm in Explica-

onibus Epiſtolarum Dominicalium, Germanicè illis primùm ſcriptis, ſed in Latinum poſteà quoq; translatis, inquit. *Non diſplicet, per Plagas & Verbera Satanæ intelligi afflictiones, q. d. Permagnæ iſtæ revelationes mihi quidem divinâ benignitate contigêre; ſed ſimul Palus carni eſt alligatus h.e maxima illa pericula & calamitates & afflictiones quibus carnem meam Angelus Satanæ verberat, caſtigat, & humiliat, ut facile arrogantiæ & Superbiæ obliviſcar.*

Non aliò tendit, *Bullingerus*, cùm ſcripſit *in* Comment *Revera* σκόλοψ *Palus præacutus eſt. Hic verò metaphoricè accipitur. pro adverſitate ſubinde excrucianti carnem totumq; Apoſtoli corpus. Sequitur enim per interpretationem, Angelus Satan. Significat autem angelus nuntium & fere miniſtrum. Satan verò adverſarium. Poſuit ergo Apoſtolus ſpeciem pro genere, vel perſonam pro re, ut intelligas cuneum adverſariorum, Pſeudoapoſtolos & perſecutores verbi Dominici; vel omnis generis adverſa, quæ affligebant carnem Pauli.*

Muſculus Duſanus, inter Commentatores nuperi ſeculi multò accuratiſsimus, cùm Chryſoſtomi ſententiam maximè probet, eumq; propiùs ad Apoſtoli ſenſum acceſſiſse judicet, ſubjungit nihilominus, pro ſuæ omnino ſententiæ explicatione, ut definitè
adver-

adversarium singularem notari arbitretur, ex Pseudoapostolis aliquem: *Existimo tamen*, inquit, *loqui Apostolum hoc loco, de singulari quodam, & insigniter malo adversario, quem angelum Satanæ singulariter vocet: qualis fuit Alexander, qui non uno tantùm loco molestus ipsi extiterit, sed ubilibet ipsi infensissimè adversatus fuerit. Hunc comparat sudi ac paxillo: quod quemadmodum sudes præacuta carnē pungendo affligit, sic sit illius infestationibus, veluti punctionibus afflictatus.*

Beza, licet in minoribus Notis suis alio respiciat, ut suo loco paulò post patebit, in Annotationibus tamen, An. 1578. editis, ad *Contumelias & injurias* omnifarias generatim refert. *Quid per istos aculeos intelligendum sit*, inquit, *non puto longius quærendum esse, sed ita metaphoricè intelligi gravissimas & animi & corporis punctiones, in illis, quas mox vocat ἀσθενείαις contumeliarū nimirum, & injuriarum omni genere, quæ gravissimè ipsū fodicabant, quantum vis fortiter omnia perferente, adeò ut allevationem quandam petere cogeretur.*

Atq; hanc sententiam, quam de Auctoribus potioribus, tam Antiquis, quàm Recentioribus sic expressimus, plusquam illi multi sunt, qui hodieq; sequuntur: ut vel nominare eos longius esset futurum. Sanè

vel ista de Auctoribus prædictis hîc attulisse tædiosius accidisset, quàm ut lubenter id ageremus: nisi Lectoribus gratificari iis studuissemus, qui quibus quisq; verbis suam sententiam protulerit, nosse cupiunt, quàm recensionibus aliorũ simpliciter acquiescere, nimis sæpe ab iis qui nominantur auctores, exorbitantibus.

SECT. 5

Σκόλοψ *Pauli ad* Stimulos Venereos *relatus: A quibus, & ad quales:* (nempe Fœdas Carnis libidines, & Importunas Cogitationes:) *ut &, per quam Fœminam talium occasio illi præbita fuisse fingatur.*

LIbuit nonnullis, ad *Stimulos* quoq; *Venereos* (Seu *Veneris*, ut appellantur apud Lucretium Lib. 4. de R.N.) referre ista Pauli verba, quibus vir Sanctissimus licet, ex Dei consilio tamẽ, extiterit obnoxius. Quam Sententiam *Liranus*, alteri, cuius antè mentionem fecimus, subnectit: dum inquit: *Vel Stimulus carnis, dicitur Tentatio peccati carnalis, quæ fortius concupiscentiam movebat, post revelationes, quam antè, permittente Deo: quam*

tamen refrenabat adiutorio Gratiæ divinæ. Et Colaphizet, inquit, Carnis concupiscentiam suis tentationibus incendendo.

Sic *Nicolaus de Gorram*, Stimulos carnis, interpretatur, *tentationes libidinis.*

Abulensis ad Exod. XII. quæst. 48 *Litera Pauli*, inquit, *sonat, quod non vult Paulum cruciari à Dæmone, sed à Concupiscentiâ carnali &c.*

Atq; eundem in modum, interpretantur ista Pauli verba pleriq; omnes, é genere Monastico, ob causam haut dubiè, vix potiorem aliam ullam, quàm quòd ejusmodi tentationibus se divexari subinde, ac torqueri, præ aliis sentiunt: tùm verò, ut argumentum inde, pro Cœlibatu Votivo, suffulciant; quùm argutantur, Paulum haut svasisse, I. Cor. VII. uxorem ducere propter tentationes: quia etiam ipse Stimulis Carnis tentatus fuerit, neq; tamen uxorem duxerit.

Gulielmus Bailius Iesuita, in Catechismo Controversiarum, ubi de Concupiscentia seu Reliquiis peccati Originalis post Baptismum in homine regenito disputat, eò etiam sententiam istam accommodat (quæst. XIV.) ut videatur evincere, primos motus, & primam ideam peccandi, quæ homini obrepit, peccatum mortale non esse: quia scilicet ex

sensu hujus loci, S. Paulus *fœdis carnis imaginationibus laborârit, nec Deus eum ab importunis illis cogitationibus liberârit.* Quibus verbis, sic magis etiam explicari patet, quos qualesq; stimulos intelligant, dum *Fœdas carnis imaginationes, Importunasq; cogitatioines* tam explicatè in isthoc dicto urget.

Ex *Vetustioribus Ecclesiæ Doctoribus*, ægrè invenies aliquem, qui Pauli verba in eum omnino sensum, vel accipienda censuerit; vel etiam a quibusdam primorum Seculorũ sic accepta saltem fuisse commemorarit.

Bellarminus tamen, dum ex loco isto Pauli, contra alterum *I. Cor. VII.* id molitur obtinere, quod diximus, *Augustinum* audet præ aliis nominare, qui narrationem istam Pauli acceperit in illum, de Venereâ Tentatione, sensum. *Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto Augustinum* opponens, *Illud quidem est verum,* inquit, *hos Patres referre hunc locum ad persecutiones: tamen S. Augustinus in Psal. LVIII. Concione secundâ, contendit Stimulum carnis aliquid significare, quod verecundiam & pudorem afferat, & quod nemo de tanto Apostolo ausus fuisset dicere, nisi ipse hoc de se confiteri non erubuisset. At certè,* (addit porro Cardinalis, ut quod vult, ex Augustino exsculpere videatur) *nullus est pudor, dolores*

lores capitis, aut persecutiones confiteri.

At enim, in quem omnino sensum *Augustinus* verba ea Pauli acceperit, & quam alicubi dubius etiam, de vi illorum verè exprimenda, extiterit, jam constare ex iis potest, quæ anteà a nobis adducta sunt.

Id nullam etiam necessitatem habet, ut dum *Augustinus* scribit, *tale aliquid, Paulum de se confiteri. quod nemo nostrum ausus fuisset de tanto Apostolo dicere, nisi ipse de se confiteri id non erubuisset*: ut inde colligatur pudendos quosdam Veneris stimulos sic notatos ab ipso fuisse; cùm capitis dolores, aut persecutiones confiteri nullus sit pudor. Scilicet, nihil esse aliud potest, in quo indigitando formula illa loquendi, qua usus est Augustinus, locum habeat, nisi id, ob quod Monachi pudorem ferè experiuntur! Et verò, dum *Augustinus* verba Pauli sic recitat, ut stimuli carnis non simpliciter mentionem faciat, sed eum talem fuisse disertè addit, quo colaphizaretur Paulus, jam innuit, non in stimulo, sed in colaphizando esse, quod pudorem, quod verecundiam afferre queat: cùm colaphizatio genus quoddam castigationis innuat cum dolore pariter aliquo ac pudore conjunctum.

Sed si cui libet *Augustini* vindicias ab isto

ſenſu pleniores videre, adeat is *Chamierum in Panſtratiâ* de Votis, *lib. XX. cap.* 19. *Vel* potiùs ipſum *Auguſtinum* audiat mihi, uti planè loquitur, in Concione illâ, ad quam *Bellarminus* provocat. Si enim verba ejus de contextu integriore ſpectentur, quàm uti â Bellarmino decurtatim perſtringuntur, vel etiam â nonnullis adduci ſolent, plusquam liquidò animadverti poterit, quò potiùs ſe referant, quàm ut neceſſe ſit ad illos ἀφροδίτης ſtimulos reſtringere.

Illud eſt vitium Capitale, inquit Auguſtinus, Concione dictâ, *quòd cùm quisq; benè profecerit, Superbiâ tentatur, ut perdat totum, quod profecit. Deniq; omnia vitia in malefactis timenda ſunt, Superbia in benefactis plus metuenda eſt. Non itaq; mirum, quia ſic eſt humilis Apoſtolus, ut dicat, Quando infirmor, tunc fortis ſum. Nam hoc vitio ne ipſe tentaretur, quale ſibi medicamentum dicit appoſitum, contra tumorem â Medico, qui ſciret, quid curaret? Ne magnitudine, inquit, revelationum extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, & dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Videte quæ ſunt conſummationes. Apoſtolus, Doctor Gentium, pater fidelium per Evangelium,*

accepit stimulum carnis, à quo colaphizaretur. Quis nostrum hoc dicere auderet, nisi ille confiteri non erubesceret? si enim dixerimus, hoc nec passum fuisse Paulum, cùm ei quasi honorem deferimus, mendacem facimus. Sed quia verax est, & verum dixit, oportet ut credamus, datum illi esse angelum Satanæ, ne magnitudine revelationum extolleretur.

Inter *Augustini* opera, Opusculum aliàs visitur, Tomo primo, in fine collocatum, de vitâ Eremiticâ ad Sororem; habetq; illud Subscriptionem in Editionibus plerisq;, olim hodieq; apud Pontificios evulgatis, talem: ut ab *Augustino* profectum videri queat. In eo sanè refertur *cap. XXVII.* Historia de Monacho, se propter castitatem in aquis immergente, & rursus affligente & orante, stimulum carnis tamen extinguere nequeunte. Verba quæ isthîc leguntur addam: *Novi ego Monachum, qui, cùm initio suæ conversationis, tum naturalibus incentivis, tum violentiâ vitiosæ consvetudinis, tum suggestione callidi hostis & tentatoris, pudicitiam suam periclitari timeret, & erexit se contra se, & adversus suam carnem svavissimum (forte legendum potius, sævissimum) concipiens odium, nihil magis quàm quod ad eam affectârat, expeteret. Itaq; inediâ macerabat corpus, & quæ ei debebantur*

subtra

ſubtrahens, etiã motus ejus ſimplices comprimebat. Sed cũ iterũ nimia debilitas ſibi plus indulgere cõpelleret, ecce caro rurſus caput erigens, adquiſitam, ut putabatur, infeſtabat quietem pleruq; (forte legendũ, plerunq;) ſe frigidis aquis injiciens tremens aliquandiu pſallebat & orabat. Sæpe etiã illicitos ſentiens motus, urticis fricabat corpus. & nudæ carni aperiens incendiũ incendio ſuperabat. Et cùm hæc omnia nõ ſufficerent, nihilominus eum Spiritus fornicationis urgeret, tunc quod ſolũ ſuperfuit, proſtratus ante pedes IESV, orat. plorat, ſuſpirat, rogat, adjurat, obteſtatur, ut aut occidat, vel ſanet; clamat crebrò, nõ abibo, non quieſco, nec te dimittã, niſi benedixeris mihi: præſtatur ad horã refrigeriũ, ſed negatur ſecuritas. Quieſcentibus n. paululũ Carnis ſtimulis, *affectiones illicitæ pectus invadunt. Deus meus, quas cruces, quæ tormenta tũc pertulit miſer ille, donec tãta infuſa eſt ei dilectio Caſtitatis: ut omnes quæ ſentiri poſſũt vel cogitari, quasvis injiceret voluptates: Et tũc quoq; receſſit ab eo. Sed uſq; ad tẽpus: Et nũc ſenectuti morbus acceſſit, nec ſic tamẽ ſe de ſecuritate blãditur.* Ita Naratio habet, *in Editione Lugdunenſi* An. 1586 per *Theologos Lovanienſes* curatâ. Quæ ſi ab Auguſtino ſcripta eſsẽt, jã dubiũ ẽẽ non poſset, quo ipſe etiã *Carnis Stimulũ* retuliſset. Sed & *Lugdunẽſis Editionis* Curator quæ in 8. prodiit An. 1563. fatetur in frõtiſpicio hujus opuſculi; Neſcire ſe hujus libri auctorẽ: (quãvis interĩ addat videri ẽẽ Auguſtini) Et *Lovanienſ. Theologi*, in Cenſurâ

suâ, disertè inquiũt: *Librũ hũc Augustini nõ ẽẽ, constat ex multis. Cap.* 19. *meminit B. Benedicti. Cap.* 45 *citat Gregoriũ, Rom: Pontifice, quaniũ opinor* (ait Censuræ ejus scriptor) *temporũ multò posteriorũ scriptores. Habet etiã vocabula quadã B. Augustino incognita. &c.* Post *August*: adducitur à Bellarm: *Theophylactus* etiam, qui licet Pauli locum istũ de persecutionib: exponat, tamẽ addat, satius ẽẽ, de tẽtationib: carnis eũ exponi. Vel, Scribere ait Theophylactũ, *quod satius est, Veneris incitamẽta, quib. maximè urgebatur*, (Paulus sc:) *expressit*. Atq; sic sane habent Editiones & Translationes quædã ejus Auctoris: ut *Bullingero* quoq; visus fuerit *Theophylactus* in eã planè sentẽtia esse, quasi censuerit Paulũ incitamẽta aphrodisiastica hic intelligere, quib. maximè fuerit obnoxius. Sed quid de Editionib *Theophylacti* incorruptiorib: ostẽdi hîc possit, & quàm labascat fides temerè citantiũ probè ad hũc locũ etiam animadvertit, graviterq; monuit *Fran*: *Iunius Haeccine vestra fides* (exclamat in Animadversionibus ad Bellarm.) *ô Pontificii! Quousq; tande bonorũ, etiam ipsius antiquitatis libros interpolabitis arbitratu vestro? Theophylactũ vertit Lonicerus; recensuit Philip: Mõtanus, Lutetiæ ante annos aliquot: sed nusquã hæc verba cõparẽt. Nos ita in exẽplari legimus, quod illi ediderunt: Vel, quod melius ipsam rem, adeoq; renisum, adversus verbi prædicationẽ,*

periculorumq; oblationem, angelū Satanâ, nominavit. Habet tamen quod Cardinalis citat, Bullingerusq; putavit, apud Theophylactum revera reperiri ; Editio Christophori Porsenæ, apud Ascensium An. 1534.

Contrà, in Basiliensi Editione, ab And. Cratandro Ann 1540. evulgatâ, quâ enarrationes Theophylacti, tum in quatuor Evangelia, *Iohanne Oecolāpadio Interprete*; tum in Epistolas Pauli, ex vetustissimo archetypo Græco per *Ioh. Lonicerū* fidelissimè in Latinū conversæ exhibentur, aliter longè res habere, deprehenditur. Nec verisimile videri queat, Theophylactum scripsisse, quod affingere illi quidam sunt ausi, de *Venereâ prurigine*, si contextum ejus, ut à *Lonicero* exprimitur, totum videas. Quem adeò subjungere hoc loco libet : ut Lector inquirendi labore sublevetur : & simul sic de ipsis illius Scriptoris verbis cognoscat, quæ propria ejus sit sententia, quasve alias improbet. *Angelum Satan & palum,* inquit, *nonnulli cephalalgiam, hoc est, capitis dolorem intellexerunt, ab Diabolo factum. At absit hoc. Non enim Pauli corpus Diabolo traditum est, quandoquidem Paulus ipsi potiùs præcipiebat, finesq; certos præscribebat, quando fornicantem tradebat ei ad interitum carnis, nec eam sibi metam ille prætergrediebatur.*

Quid

Quid igitur est Satan? Contrapositus, vel Adversarius dicitur, Hebraâ voce. Angeli igitur Satanæ sunt omnes adversarii, Alexander Ærarius, Hymenæus, & Philetus, omnesq; tribulantes ipsum & affligentes, ceu Satanæ opera perficientes. Dicit igitur, quòd non permiserit DEus prædicationem meam, absq; periculis procedere, ut ne extollar multis revelationibus donatus. Quur autem non dixit, Angeli Satan dati sunt mihi, sed angelus? Quia in eo loco unus quispiam inveniebatur, renitens fortasse, populumq; concitans, quo præcedente ducenteq; principium, reliqui sequebantur. Vel, quod melius, ipsam rem, adeoq; renisum adversus Verbi prædicationem, periculorumq; oblationem, angelum Satan nominavit. Sic *Theophylacti* verba habent, *Lonicero* dicto interprete. Qui, si in archetypo illo Græco, vetustissimo, reperisset quicquam affine illi sensui, quem *Bellarminus* tradidit, nec sensum eundem propiùs expressisset, vel attigisset, quàm factum videmus, nescio an cœcutivisse magis, quàm delirasse, dicendus fuerit. De *Porsenæ* autem illius Editione Latinâ, cujus antè meminimus, *Lonicerus* in Præfatione ad Danorum Regem, quâ suos in Theophylacto labores illi (Anno 1538.) dedicavit, queri haut temerè, in hunc modum legitur. *Porsena*

Roma-

Romanus quispiam, in Epistolas Pauli Enarrationes primus in Latinum theatrum invexit: qui si mansisset intra Graci exemplaris septa, ac nisi sæpe quadam omisisset, non fuisset opus sudoribus nostris. Taceo, quod nonnulla non sit adsecutus. Quare si nostra & Porsenica cum Græco fonte contulerit Christianus Lector, experietur me fideliter ac simpliciter (nam hoc polliceri ausim) vertisse.

Ipsius quidem *Loniceri* Versionem etiam haut temerè denuò recensendam corrigendamq; sumsit sibi postea, Ann. 1552. *Philippus Montanus*, Collegii Tornacensis, quod Lutetiæ situm est, Administrator: eaq; gratiâ, cùm ex Italia Græcum exemplar frustrà requisivisset, adeptus tandem aliunde exemplar vetustissimum, quo usus fuerat *D. Erasmus*, ad illud non sine magnis laboribus, Latinâ infinitis, (ut in Epistolâ testatur dedicatoriâ,) locis ξὺν θεῷ ut potuit, sedulò emendavit. Sed apud eundem Montanum tamen, præmissum illum Pauli locum, ita prorsus quoq; reperies expressum, ut nihil animadvertere sit discrepantiæ: Et de *Porsenæ* Versione, fatetur idem disertè, in præfatione ad Lectorem, *multum à Græcis eam discedere ne dicat, plerumq; dissidere: ut quæ sit paraphrastica potius, atq; etiam nimiùm libera, utpote, quæ plerumq; adjiciat*

adjiciat, quæ in Græco non habentur: & contrà plerumq; in locis complures versus prorsus omittat. Quin & ibidem paulò post, de eodem interprete Porsenâ, *Solet*, inquit, *iste, si quid placeat, liberiùs tractare, ac multa de suo infarcire: & contrà, si quid non arrideat, illud prorsus omittere.* Quæ occasione isthac, de Theophylacti Versionibus atq; interpretibus attigisse, studiosorum gratiâ, haut piguit: ut vel exemplo isto moneantur, quâ in testium hujusmodi appellatione, opus sit cautelá atq; prudentiâ.

Sed &, ut in gratiam eorundem Verba ipsa Theophylacti Græca, subjicere hîc possim, post multas & longinquas exquisitiones, (cùm ista pridem scripsissem) è Britanniâ tandem impetravi. Habent Græca Theophylacti verba ergò ad hunc modum.

Ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι] Ἄγγελον Σατᾶν καὶ σκόλοπά τινες κεφαλαλγίαν ἐνόμισαν ὑπὸ τοῦ Διαβόλου γινομένην. Ἀλλὰ μὴ γένοιτο. Οὐ γὰρ ἂν τὸ σῶμα Παύλου τῷ διαβόλῳ παρεδόθη; ὅπου γε Παῦλος αὐτῷ μᾶλλον ἐπέτασσε; καὶ ὅρους ἐτίθει; ὅτε τὸν πορνεύσαντα αὐτῷ παρεδίδου εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, καὶ οὐχ ὑπερέβη τοὺς ὅρους ἐκείνους. Τί οὖν ἐστι Σατᾶν; Ὁ ἀντικείμενος λέγεται τῇ ἑβραίων φωνῇ. Ἄγγελοι Σατᾶν τοίνυν οἱ ἀντικείμενοι πάντες, Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς Ὑμέναιος καὶ Φιλητὸς, καὶ πάντες οἱ θλίβοντες αὐτὸν καὶ κακοῦντες, ὡς τὰ τοῦ Σατᾶν ἔργα ποιοῦντες.

Φησὶν οὖν, ὅτι οὐκ εἴασεν ὁ θεὸς τὸ κήρυγμά μου χωρὶς κινδύνων καὶ πόνων προχωρεῖν, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ὡς πολλῶν ἀποκαλύψεων καταξιωθείς. διὰ τί δὲ οὐκ εἶπεν, ἄγγελοι Σατὰν ἐδόθησαν, ἀλλ' ἄγγελος; ἐπειδὴ κατὰ τόπον εἷς τις εὑρίσκετο ὁ ἀντιπίπτων. ἴσως καὶ τὸν δῆμον ὑποκινῶν, οὗ προκατάρχομένου καὶ οἱ λοιποὶ συνείποντο. ἢ ὅπερ καὶ βέλτιον, αὐτὸ τὸ πρᾶγμα. ἤτοι τὴν πρὸς τὸ κήρυγμα ἀντίθεσιν, καὶ τὴν τῶν κινδύνων ἐπιφορὰν ἄγγελον Σατᾶν ὠνόμασε.

Videre ſic ex Græcis ipſis etiam poterit ſcius Lector, nihil ejus comparere apud Theophylactum, quod tanqnam ab illo profectum Cardinalis profiteri eſt tamen auſus.

Sed nec defuêre hîc, qui *certam* etiam *Perſonam ex ſequiore ſexu* nominare auſi ſunt, unde Stimulus ille in Apoſtolo extiterit. Quaſi ſcilicet, cum illo apud Comicum queri Paulus neceſse habuerit: (*in Trucul.4.2.*) *Na illa ſtimulum longum habet, quæ usq; illinc cor pungit meum.* Vix putem tamen Antiquiorem aliquem ejus fabulæ auctorem laudari poſse, quàm *Hugonem*, Cardinalem illum, cujus jam antè quoq; meminimus. Is in Poſtillis, quas vocat, ad textus ſacros ſuis, ubi in Epiſtolam hanc ad Corinthios commentatur, allatâ primùm de Capitis Dolore ſententiâ, ſubjicit: *Aliter dicitur, quòd tentatio fuit de S. Theclâ, quam baptizaverat: eoq; deinde accommodat,* quod ad Rom. 7. dicit: Non habitat in me, id eſt, in carne

ne meâ, bonum. Et quòd apud *Hieronymum in Epistolâ ad Oceanum* legi putavit: *Thecla; post tentationem passionis, Antiochiæ cum Paulo prohibetur pergere.* *Nemo enim miles cum uxore vadit in bellum.*

Sed ut per eam, quæ sic citatur Epistolam, fabulæ illi *Hieronymum* auctoritatem aliquam addere credat, non patietur induci se animo Lector, qui Epistolam illam, (uti Tom. IV. p. 317. Editionis Erasmianæ Basiliensis uideri potest,) inspexerit, atq; cum unâ saltem alterâue, quæ citra dubitationem ab Hieronymo profectæ sunt, contenderit. *Erasmus* quidem, in censura, quam præmittit: *Quis non*, inquit, *rideat Simium hunc?* Et deinde: *Quis non statim sentiat, hunc Scriptorem, ut liberè quod sentio dicam, aut temulentum fuisse, aut febri laborasse?* Ac tandem: *Quisquis hunc sermonis characterem non potest ab Hieronymiano secernere, is nec asinum ab equo distinguet.*

SECT. 6

Σκόλοψ *Pauli ad* Concupiscentiam generatim, *seu ad* Reliquias peccati & Labis Ori-

 ginalis

ginalis *à nonnullis; Speciatim etiam ad* Superbiam *à quibusdam nostri ævi Scriptoribus relatus.*

PErmagni etiam nominis sunt Auctores, qui σκόλοπα illum non dubitant referre ad *Concupiscentiam*, Affectum illum naturæ in nobis corruptæ perversum ac malignum, quam nec Regeneratio, uti ea in hac vitâ nobis contingit, funditus extirpat, penitusve abolet.

Vt primarios hîc nominem sententiæ hejus auctores, quos presſiùs haut pauci hodieq; sequuntur, *Calvinus* eò, præ aliis, intendere digitum deprehenditur, cùm in Commentariis, *Ego*, inquit, *Sub hoc vocabulo* (Stimulus carnis) *comprehendi arbitror omne genus tentationis, quo Paulus exercebatur. Nam caro, meo judicio, hic non corpus, sed partem animæ nondum regeneratam significat: ut sit sensus, Mihi datus est stimulus, quo caro mea pungeretur. Neq; enim adhuc sum adeò Spiritualis, quin obnoxius sim tentationibus secundum carnem.*

Planiùs in eam sententiam *Beza* scripsit, cùm in Annotationibus, quas *Rob. Stephanus* excudit, Anno 1556. majoribus, *Sic autem Paulus,* (ait,) *ut mihi quidem videtur,*

translativè vocat τὴν ἐπιθυμίαν, *quæ ſcilicet teli inſtar, carni penitꝰ infixa eſt: ut eā quaſi lethalē quandam arundinē, ſicut Poëta ait, ſaucii circūferamꝰ, cujus nimirū vulnꝰ cogebat Apoſtolū quatenꝰ caro cum Spiritu in eo quoq; luctatur, exclamare: Non facio bonū, quod volo &c.* Et cùm in iis, quæ editæ ſunt, An. 1595 Notis minoribus, ſeu marginalibꝰ, ad verba hæc Pauli, adjecit: *Concupiſcentiā intelligit, quæ teli inſtar nobis inhæret, ut cogat etiam regeneratum Paulum exclamare, Non facio bonum, quod volo.*

Neq; aliò ſpectat *Marloratus*, præſertim in Annotationibus marginalibus *Gallicis ac Belgicis*, cùm ad Reſiſtentiam quandam continuam refert, quam habeat Paulus in ſuâ carne, & ſuâ natura, contra Spiritum, de quo videre item jubet eundem ad Rom. 7. locum.

In Annotationibus tamen majoribus ſuis, uti editæ ſunt illæ Ann. 1588. *Beza* ad ſententiam, quæ Sectione quartâ jam expoſita fuit, propiùs accedit: *Quid autem per iſtos Aculeos,* (inquit ibi) *intelligat,* (Paulus ſcilicet) *non puto longiùs quærendum eſſe, ſed ita metaphoricè intelligi, graviſſimas & Animi & Corporis punctiones, in illis, quas mox vocat,* ἀσθενείαις. *Contumeliarum nimirum & Injuriarum omni genere, quæ graviſſimè ipſum fodicabant, quantumvis omnia fortiter perferentem, adeò ut*

allevа-

allevationem aliquam petere cogeretur.

Eundem in ſenſum Pauli verba hæc accipienda eſse, judicavit & *Flacius Illyricus* in ClaviScripturæ: dum in nomine, *Palus*, Scriptum reliquit: *Dirum quoddam ſupplicium ſe circumgeſtare, Paulus ibi judicat: ſive fuerit aliqua Concupiſcentia prava, ſive aliqui terrores ac perturbationes Conſcientiæ; ſive quicquid demum ejusmodi triſte ac acerbum. Neq; enim facile eſt divinare aliquid certius. Veriſimile tamen eſt, fuiſse aliquos Veteris Adami improbos motus, quibus DEus Paulum coargueret voluit innata malitiæ: ne putans ſe adeò ſanctum juſtumq; eſse, inſoleſceret.*

Theologorum noſtræ ævitatis celeberrimus meritiſsimusq;, *Petrus Molinæus*, in *Vate*, quem non ita pridem edidit, *Cap. XII* ubi per occaſionem de loco isthoc Paulino etiam diſſerit, *Superbiam* Speciatim etiam hîc nominat, ad quam verba Pauli quorundam judicio referantur: *Receptiſſima*, inquit, *hodie ſententia eſt, per* Stimulum *carnis, & Angelum Satanæ, intelligendas eſse Reliquias Concupiſcentiæ, Labisq; originalis: quæ inſtar ſtimuli altè infixi, urebat Apoſtolum, & tentationibus lancinabat: Præcipuè verò* Superbiam, *quæ tenaciſsimè inhæret, & in Regeneratione noviſsimè exuitur, ſi tamen unquam exuitur.*

SECT.

SECT. 7

Σκόλοψ *Pauli relatus ad quendam* Defectum *seu* Spiritualem *aliquam* Imperfectionem.

INterlinearis *Glossa*, quam vocant, Stimulum carnis sic contrà explicat: ut dicere Paulum fingat, DEUM ad conservationem Humilitatis permisisse (fortè legendũ, immisisse) Diabolum, ut ad *Defectũ* traheret. Qui omnino autẽ *Defectus* sit intelligendus, in eâdem glossâ non exprimitur.

Flacius Illyricus autem, explicatiùs quodammodo, *Spiritualem quandam Imperfectionem* nominat, cùm rejectis aliis Veterum sententiis, subjicit in Clavi tandem, in nomine *Stimulus*. *Quia erat quiddam, quod spiritualem fastum, ac opinionem Sanctitatis, quasi jam esset planè Angelus cœlestis, exemtus ac liberatus ab omnibus naevis humanis, in eo reprimere debuit, necessariò fuit aliquid, non tantùm crucem aut pœnam continens, sed etiam aliquid vicinum culpa. Oportet id idem esse in carne ejus, id est, in Veteri Adamo: siquidem eum monere debuit, de suâ Infirmitate, aut etiam, ut ita dicam, Carnalitate, de quâ Ipsemet conqueritur Rom. 7. Eam porrò innatam Cupiditatem, seu infixum palum carni, Satan egregiè illi irritare*

& exa-

& exacerbare solitus est, atq; ita ei in suo Spirituali curriculo, aut vitâ, ignominiosos quosdā colaphos infringere. Facilè & ex sequentibus probatur, fuisse Spiritualem quandam Imperfectionem: quandoquidem Christus, denegans ei liberationem ab illâ, dicit, Sufficere ei in hac vitâ suam gratiam, qua omnem imperfectionem nostram contegat ac condonet, donec ad plenam Perfectionem perveniamus. Sic Flacius.

Videtur sic Auctor ille, (quod eorū gratiâ addendum censeo, qui minùs perspiciunt fortè ex Vulgatâ Interpretatione, aut aliis etiam, quâ ista specie quasi ex Textu pro se urgeat) respicere ad verbum ἐπισκηνώσῃ. & sic aliquam ejus emphasin suæ sententiæ accommodare. Sed nos de vero ejus verbi sensu, qui hoc loco maximè agnoscendus sit, inferiùs posteà videbimus, quæq; ejus vis propria sit, ac quò spectet ejus emphasis, seorsum explicabimus: ut attento Lectori expedire sese inde, in proclivi sit futurum.

SECT. 8.

Σκόλοψ *Pali relatus ad singularem, nec satis explicabilem* Tentationem, *aut* Genus quoddam afflictionis Intolerandum.

IOh. *Piſcator*, Theologus ille de Analyticâ Pertractatione & Translatione Germanicâ Sacrarum Literarum longè celeberrimus, Paulinum iſtum σκόλοπα interpretatur quidem de *Tentatione* Satanæ; ſed eâ *ſingulari*, cujus finem formamq; exprimat Paulus. *Formam* tamen, quam omnino eſse putet, in Explicationibus & Scholiis, quæ addidit, nullus explicat.

Eundem in ſenſum recidere videtur *Lucæ Oſiandri* Paraphraſis, quam Textui interſeruit: cùm Paulum dicentem facit: *Ne inſoleſcerem, Dominus carni meæ infixit aculeum, qui me malè habet: hoc eſt, ordinavit Satanam quendam, malum Angelum, qui mihi gravi Tentatione valdè moleſtus eſt.* Ac ſubdit idem: Nihil certi affirmari poſse, qualis hæc fuerit Pauli Tentatio: Vocabulum autẽ σκόλοψ (quod Stimulũ interpretatus eſt Auctor Latinæ Translationis) ſignificare, *Palum*, *Sudem*, *Spiculum*, *Aculeum*, *Spinam*, aut quiddam tale, quod corpori impactum, continuos dolores creat, donec extrahatur.

Iohannes Camero in Myrothecio, Genus quoddã Afflictionis intolerandum notari putat: *Deſcripſit* Paulus, *hic nobis*, inquit, *haut dubiè Afflictionis Genus pæne intolerandũ quod ideo* σκόλοψ *vocatur* ἐν τῇ σαρκί. *Eſt autem* σκόλοψ (*ad-*

 dit

det ulterius) asſula, vel etiam quicquid acuminatū humano Corpori infigitur, *unde naſcitur dolor acutiſsimus. Etiam* σκόλοψ *σαυρὸς eſt, non quilibet tamen* σαυρὸς, *ſed quo damnatorum Corpora transfigebantur.*

SECT. 9

Σκόλοψ *Pauli ad* Afflictionem Corporis *â quibusdam relatus, unde* Mortalis *argueretur.*

ERaſmus Roterodamus, in Paraphraſi, quam ſcripſit in N. T. perquam eximiam, *De Corporis Afflictione* explicavit, ſed ea ad finem iſtū ſeorſum reſtrictâ, ut ſeſe mortalibus haut exemtum eſse agnoſceret, & agnoſceretur. *Permiſsu propitii Numinis*, (inducit Paulum loquentem) *additus eſt Stimulus & Afflictio corporis, quæ & me mei commonefaciat, & apud omnes me mortalem arguat, communibus obnoxium malis.*

Sequitur Eraſmum hac parte, ut locis infinitis aliis, pede preſsim, Scholiaſtes ille Tigurinorum celeberrimus, *Conradus Pellicanus*, adeò nihil ab illo diſcrepans: ut verba quoq; prorſus eadem repetat. Veterque tamen, dum Genus Afflictionis illius preſsiùs explicare nituntur, in Paraphraſi Commatis apud

Paulum

Paulum ſequentis, uti ex ſuperioribus conſtare poteſt, quæ ſect. 4. ſunt adducta, ad Perſecutiones eam potiſsmùm referunt.

Sed & ante hos, *Primaſius, Epiſcopus Africanus*, qui ad ſeculum, à Chriſto nato ſextum, referri ſolet, atq; Commentaria brevia in omnes Epiſtolas Apoſtolicas concinnavit, ita quoq; in iisdem, quid Stimulus Pauli notet, explicat, ut aliter eum nõ deſcribat, quàm talẽ fuiſse, *qui hominem eſſe ipſum commemoret*, niſi potiùs legendum, commoneret.

SECT. 10.

Σκόλοψ *Pauli relatus à nonnullis ad* Tentationem *quandam* Animi, *ſeu* Internam.

AD *Tentationem* item quandam, ſed eam *Internam*, & in animo ſitam, referre Stimulum illum placuit *Rudolpho Gualtero, Eccleſiaſtæ Tigurinorum celeberrimo*. Is, Homiliâ in Epiſt: hanc LV, repudiatis aliorũ de Morbo quodã; de *Hoſte Singulari* aliquo, opinionibus, ſuã ſubjungens ſententiã, *Sed quia*, inquit, *tot tantisq; laboribus nõ potuiſset ſufficere corpus infirmum, & morbo alicui familiari obnoxium; & non de Hoſte aliquo externo, ſed de*

Surculo carni *ipsius infixo loquitur, ego Tentatione graviore notari arbitror, quâ DEus illum, nõ in Corpore solùm affligi, verùm etiã intra Animã et Consciẽtiã suam exerceri voluerit: ne donorũ excellentiâ superbiret. Et huic sensui favet,* (addit idem ulteriùs) *quòd ad Rom. 7. de gravi illâ luctâ scribit, inter legem DEi et legem Peccati, quam in corde suo sentiebat: adeo ut eâ quasi ad extremas angustias redactus clamaret: Miser ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore? Etenim credibile est, obrepsisse ei simul Vitæ anteactæ et Crudelitatis, quâ in fideles Christi sævierat, Recordationem, quam ipsi Satan suggerebat: ut quam in DEi gratiâ fiduciam collocatã habebat, labefactaret. Nam qui scandalis, quæ aliunde piis objici videbat, totus urebatur: quomodo potuit nõ totus exhorrescere, et intra Conscienciã suã æstuare, quoties cogitabat quã diris, quamq; indignis modis ipse Christi membra tractavisset: quam multos item fidem coegisset abnegare? Nec enim cum sono, qui aures feriebat, simul intra animum ejus, terribilis illa vox Christi evanuerat: Saul, Saul, cur me persequeris? Et quãvis non dubitaret de Gratiâ DEi, manebant tamen Stimuli conscientiæ, qui acerbissimã istorum scelerum recordationem innovabant. Augebat dolorem istum Angelus malus, Satan nimirum, qui insuper illum quotidie novis terroribus exagitabat, & simul hostes externos excitabat, ut eum tan-*

tum

tùm non colaphis caderet. id est, Conviciis, Calumniis, Persecutionib., Carcerib., Flagris, & omni injuriarum genere exagitaret. Id tamen omne ad Deum refert Paulus, qui ita fieri velit: ne ipse supra modum suæ conditionis efferretur, cui erat destinatus. Sic *Gvalterus*: qui ut peculiarem suam quandam explicationem, respectu stimuli seu σκόλοπος, cujus Paulus meminit, sic initio proponit, eamq; satis prolixè asserere connititur, neq; paucos hodieq; invenit adstipulatores: ita in posterioribus tamen, in eam sententiam satis planè quoq; loquitur, quam jam suprà, sectione quartâ, exposuimus,

Ad *Tentationem* item *internam*, sed eam duriusculè quodammodo explicatam, retulit, verba Pauli isthæc de Satanæ nuntio, *M. Mat thæus Iudex*, cùm in Epistolarum Dominicalium Explicationibus scripsit: *Nuntius Satanæ, qui Paulū colaphis cædat, quid fuerit, nō explicat: Sed certum est, Tentationem aliquā fuisse, sive Externam, sive Internam. Ex sequentibus, ubi Dominus dicit, Sufficit tibi gratia mea, videtur colligi posse, fuisse* Tentationem Internam & Angorem Conscientiæ, colluctantis cum desperatione, *qualem in Davide, Christo, & aliis Sanctis Scriptura fuisse sæpe indicat. Videtur tamen etiam de corporali afflictione intelligendum esse, presertim cùm dicat, Sibi datum esse stimulum*

per

per carnem. Sic iste, qui Ienæ floruit & Magdeburgi, circa Ann. 1562.

SECT. II.

Σκόλοψ *Pauli relatus â quibusdam ad* Blasphemam *aliquam* Cogitationem, *item ad* Sensum Mortis; deniq; Consternationem Animi subitam.

M*Atthesius*, Ecclesiastes ille superioris seculi, in valle Ioachimica Saxonû celebertim⁹, in Homiliis, quas in Epistolas Pauli ad Corin: peculiares edidit, fatetur ille quidem haut satis certò, vel explicatò Sibi constare, quid omnino notetur, per Stimulum illum, seu Angelum Satan: suspicatur tamen, *Blasphemam Cogitationem* aliquam fuisse forsan, Paulo à Spiritu Maligno subinde injectam, â quâ nec expediri potuerit.

Quod si illud minùs placeat, Substituit quoq; aliud quid, quod, ipsius judicio, locum invenire hîc queat: *Sensum* nempe *mortis*, de quo ad Romanos Sept. graviter queratur.

Tandem ad *Subitam* quandam *Animi Consternationem*, qualem Christus sensisse refertur Ioh. XII. V. 27. cùm inquit, νῦν ἡ ψυχή

μου

μου τετάρακται: Nunc anima mea turbata eſt: poſt alios, quos nominari opus non eſt, refert *VVolfgangus Mamphraſius*, in Praxi Theologica, ſeu Panoplia & Militiâ Chriſtianâ: p. 101. Cùm repudiato *Libidinum ſtimulo*, inquit: Σκόλοψ *non eſt Stimulus Libidinum, ut Papiſtæ blaterant: Sed aut* Tentatio corporalis, aut Spiritualis, aut Mixta; aut Recordatio & Memoria peccati, quo ſe polluit ante Converſionem: (*nam etiam remiſſo peccato ſolent Stimuli conſcientiæ manere, qui artibus & livore ſatanæ acuuntur*) *Aut fuit* Subita Animi Conſternatio, *qualis in Chriſtum irruit Ioh. XII.*

Tales ſubitæ conſternationes, addit ibidem dictus Auctor, ſunt Colaphi Satanæ, quibus nos cadit. Hæc ſunt tela ignita, Stimulus, colaphi Satanæ, nempe Tentationes acerbæ, & Cogitationes Infernales, quibus Cor aduritur & maceratur. Homicida eſt Satan, ac neminem, quantumvis Sanctum absq; vulnere lethali in conſcientiâ dimittit, quibus eum maceret. Ac ſæpe in tantas anguſtias redigit pios: ut neſciant, quomodo eluctari debeant. Grave dictum eſt Pſal. LXXVII, renuit conſolari anima mea. Sed DEus non ſinit ſanctos Tentationi & Cogitationi Diabolicæ ſuccumbere, & facit eos tandem triumphare in Chriſto. Sic Mamphraſſus.

Poſſent adduci fortè alii etiamnum, qui itē

cam

eam suis quibusdam modis explicare conati sunt. Vix tamen occurret puto, quisquam, qui; vel plures explicationes duntaxat non comprehenderit, alternatione quadam; vel aliquid protulerit, quod ad Classes, hactenus descriptas, sese non referat: in quibus comprehendisse *Explicationes* loci huius Paulini *potiores omnes*, quas seu apud *Antiquiores*, seu apud *Iuniores* etiam reperire est, pro tenuitate nostrâ studuimus.

SECT. 12.

De Explicationibus præmissis plerisq; omnibus, quid statuendum videatur generatim: Et quorsum σκόλοπος nomen hic omnino referendum sit.

QVæ istæ autem cunq; sint sententiæ, *vel* Pauli verbis, si pressiùs ipsa spectētur, nō satis planè per omnia aliquæ videntur congruere: *vel* generatī nimis rē, quæ denotetur, indigitant, quæ ipsa autē ea sit, pro vi verborū Apostolicorū, parū dilucide quædā explicant: *vel* sumunt etiā aliquid, quod de Paulinâ Historiâ minùs verè cōstat, aut ejus etiā Conditioni ætatiq; vix existit consentaneum.

Sanè nec ab ullo ferè inter prænominatos Autores, aut certè ab rarissimis, satis explicatum reperitur, quæ ratio sit σκόλοπος h:e, seu *Stimuli*, seu *Surculi*, seu *Pali*, carnis respectu considerandi, ad eam, quam proponunt ipsi sententiam, per *Allusionem* aliquam emphaticam, aut *Comparationem* omnino dilucidam & accommodam, declarandam: ut carni scilicet accidere Stimulus, Surculus, Palusve intelligatur, pro fine planè eo, quem Paulus designat, cujusq; ille gratiâ propriè privatimq; ipsi sit datus. Quod spero Lector attentus, ex iis quæ deinceps postea, pro re istâ planiùs evoluendâ subjicientur, clariùs agnoscet, quàm sic generatim dici forsan potest.

Verba quidem Pauli, si attentiùs intueare, facilè deprehendes, ita per se ea habere, atq; ita cohærere omnia: ut nec *Carnis Stimulus* quidem ibi nominari rectè cogitetur: nec Stimuli, sive Pali, Surculive simpliciter, vel Subjectivè, (ut loqui in Scholis gaudent,) mentio fiat. Tantum abest, ut *Stimulus*, *Surculus*-ve, vel *Palus*, per se absolutè hoc loco aliquid figurare putandus sit.

Σκόλοψ τῇ σαρκὶ, hoc est, *Stimulus*, *Surculusve* aut *Palus*, *Carni*, non *Carnis*, in Græ-

co dicitur: atq; nō per se nominatur, ut aliquid seorsū figuret, sed de aliā re quidē ille prædicatur, puta de *Angelo Satan*, qui scilicet sic datus sit Paulo, ut esset σκόλοψ τῇ σαρκὶ, seu tanquam σκόλοψ τῇ σαρκὶ existeret.

Quâ verborum ratione spectatâ, haut obscurum est, quid obstiterit, quo minùs pleriq; ex dictis Auctoribus, verbis Pauli satis per omnia congruum aliquid attulisse, agnosci posint: utut verum piumq; sensum aliquem cæteroquin expresserint. Nempe primùm, verbis malè redditis, putârunt hîc aliquid notari, quod â Carne exerceatur, seu â Carne procedat, in homine: quodq; velut Spina in illâ subnascatur. Quò sententia sese refert, tum illa, de *Libidine Venereâ, seu Oestro luxuriosæ carnis*; tum altera etiam, de *Concupiscentiâ*. At Textus Græcus si inspiciatur, verba exhibet aliò tendentia, quàm ut reddere illa ad eum modum, convenerit, uti ex prædictis jam clarum est.

Deinde nexu verborū, seu cohærentiâ eorundē nō satis observatâ, σκόλοψ â Paulo nominatus, tanquam ab Angelo illo Satan, diversum quiddam, minus aptè reputatus fuit. Quod ab illis factum est, qui Morbum aliquem, seu *Cephalicum*, seu *Iliacum*, seu *Epilepticum*, eo nomine denotatum statuerunt. At nec

nec σκόλοπος nomen, ſic per Appoſitionem, quam vocant Grammatici, poſitum, rem diverſam aliquam, ſeu diſtinctam ab Angelo Satan, notat: (ut ſtructuræ ratio propemodùm prodit:) Sed explicationis ergô adhibetur, & per ſtructuræ rationem, (ſi rationabiliter illa obſervetur) deſignat, quid Angelus ille Satan, Paulo, poſt Revelationum excellentiam datus, ſeu additus, exiſtere illi debuerit, ſeu apud eum, reſpectu Carnis, ad elationem proclivis, proficere. Vtut n. ordo verborum in Textu alius appareat, nomenq; σκόλοψ τῇ σαρκὶ, præcedat: ſequatur autem nomen Ἄγγελος Σατὰν: Connexionis tamen ratio alia rectiûs nulla agnoſci poteſt, quàm illa: ut *Subiectum* ſit, Ἄγγελος Σατὰν, Prædicatum autem ejus *Appoſitivum* (ut ſic loquar) id, quod præmititur, σκόλοψ τῇ σαρκί.

Ex qua connexione obſcurum eſse nequit, per σκόλοπα τῇ σαρκὶ, non donotari hîc aliquid Carni, ſeu Corpori Pauli impactum, vel infixum; quod illi ſpectavêre, qui *Surculum carni infixum*, verba Pauli reddidêre: Sed tantùm declarari id, quod in Subjecto nominato intelligi poteſt Paulo exteriùs accidiſse, ſeu velut adſtitutum aut adjunctum fuiſse. Viſi ſic quidem ſunt Interpretes illi, quos hîc notamus, ellipſin ſupplere, quæ inter verba, σκόλοψ.

& τῇ σαρκὶ, obvenire uiſa eſt. Sed eâ ſi accuratiùs res expendatur, haut ſatis commodè ſic expletam fuiſse, inde exiſtimari poteſt: quòd aliud verbum ad eam, in dictâ attributione explendam, congruentius facilè cogitari poſsit, imò debeat, puta τὸ ὢν. Cohærentia quidem & Conſequentia verborum ſic planiſsimè habebit: ἐδόθη μοι Ἄγγελος Σαταν, (ὡς) σκόλοψ (ὢν) τῇ σαρκὶ: h. e. Datus ſeu attributus eſt mihi Angelus Satan, (tanquam) Surculus, ſeu Palus (exiſtens) Carni meæ.

SECT. 13.

Ex Attentiore Verborum Conſideratione, quî Speciatim redarguatur Explicatio de Morbis: *uti & per Rationes alias.*

Quo modo, ut declarari evidens eſt, quid Angelus ille Satan, ſuis molitionibus, Paulo, ratione ſeu reſpectu Carnis exiſtat, nempe, Pali inſtar ad Elationem, in quam caro proclivis eſt, prohibendam, externè directi ſeu accommodati: ita per ſe ferè evaneſcit, ut σκόλοπος nomine, *Morbus* hîc aliquis, ſeu *Cephalicus*, ſeu *Iliacus*, ſeu *Epilepticus* intelligatur.

Et ubi quæso, in *Apostoli* ipsius scriptis, vel *Lucæ* etiam, de eodem Narrationibus, indicium ullum sit Morbi, quo cum conflictatus fuerit Apostolus? Quid *Epaphrodito* acciderit hujus generis, meminit sanè ad Philip. 2. ℣. 27. Sibi simile quiddam contigisse, nusquam vel innuit.

Ac cùm per gratiam sibi divinitùs concessam, liberare à morbis alios valuerit: annon probrosum extitisset, morbo cuidam perpetuo obnoxium esse ipsummet, meruissetq; propemodùm audire illud: *Medice, cura te ipsum*: idq; tanto contumeliosiùs, quanto in miraculosis Sanationibus indignius videtur, Si sibi nec ipsi prodesse vi miraculosâ suâ possint, qui eâ excellere aliàs putantur.

Non attingam, *Morbos* etiam eos, de quibus aliqui divinare ausi sunt, quod Paulum, iteratis ùsq; paroxysmis, infestârint, plerosq; tales esse: ut ad Munus, quod injunctum Apostolo erat, defungendum, reddidissent ipsum minùs idoneum. Quod DEum voluisse admittere, haut verisimile apparet.

Atq; ubi Apostolus commemorat, quicquid ferè Calamitatum etiam ipsi accidisse cogitari poterat, Epistolæ hujus cap. VI, ℣. 5. 6. nusquam tamen meminit ejus gene-

ris, quod *morbo* deputari posset: cùm nominet interim pleraq; omnia alia, in quibus Patientia cerni solet: *Tribulationes*, *Necessitates*, *Angustias*, *Plagas*, *Carceres*, *Seditiones*, *Labores*, *Vigilias*, *Ieiunia*. Quibus utiq; etiam adjunxisset *Morbos*, si ipse obnoxius talibus extitisset eo interea tempore, quo Ministerio suo defungebatur: cùm isthîc loci propositum habeat declarare, quàm sese in Munere suo gesserit fideliter, ac patienter. Patientia n. si in ullâ re aliâ, certè etiam in Morbis cerni solet, præsertim tam illis dolorosis, ac solent esse, quos tribuunt, seu affingunt Paulo, nonnulli, seu *Capitis*, seu *Viscerum*.

Epilepsia verò ex eo etiam genere est, ut mentem ipsam etiam facilè impeditam reddat, ad functiones tales idoneè subeundas, quales Paulo incubuêre. De *Nicolao Leoniceno* quidem, *Medico Vincentino*, *Dioscoridis Illustratore celeberrimo*, mirabile est, & memorabile, quod morbi eius respectu, *Iosephus Scaliger* refert, in Epistolarum suarum quadam, numero, si benè commemini, decimâ nonâ. *Equidem*, scribit initiò, *de Viro eo, non nisi honorificè prædicare debemus, vel eo nomine, quod primus Philosophiam & Medicinam ipsam, cum humanioribus literis conjunxit. Primus n. ille nos docuit*, ait ulteriùs, *homi-*

minu

mines, qui sine bonis literis Medicinam tractant, esse similes iis, qui in alieno foro litigant. Et mirum praterea, addit, *accepi de eo viro. A pueritiâ, imò à cunabulis ipsis ad annum xxx,* Morbo Comitiali *adeò tentabatur, ut cùm ad se redierat, pertæsus vitæ, penè sibi manum afferret. Sed post annum trigesimum, subiungit tandem, planè eo malo defunctus, omnibus membrorum ac sensuum officiis integer, nulla morbi suspicione, ad* XCVI. *annum pervenit. Et si bene memini, triduo antequam decederet de vitâ, operam dederat Lectioni.* Hæc Scaliger.

Quo exemplo utut constare id videatur, *Epilepsiam* aliquo usq; ætatis protractam, Eruditioni vel deinceps excolendæ non obstare: ita planum est quoq;, desiisse eam in homine ad virilem ætatem progresso, atq; si cæteri anni ab eâ liberi esse non debuissent, parum illum in publicum profuturum fuisse: ut de Paulo inde ne hariolari quicqu m Moibi e- jus respectu conveniat, quasi is Affectus Muneris sanctissimi defunctionem nihil impediturus fuisset.

Repudiat istam de *Morbis Explicationem* easdem ob causas *Cornelius à Lapide*, cùm eâ commemoratâ, *Nusquam*, inquit, *alibi de Morbis suis queritur Apostolus:* Et *Morbi magno illi fuissent impedimento, in sua predica-*

tione ; Evangeliiq; propagatione.

Vbi *Hieronymus*, quem suprà adduximus, sic speciosè *Infirmitatem Carnis*, cujus Paulus meminit, quamq; tentationem Galatis esse potuisse innuit, eò referri posse docet, ut Morbus aliquis intelligatur: Ipse ibidem isti explicationi ita non insistit, vel acquiescere potuit: ut tùm aliam præmiserit, tùm subjunxerit etiam. *Nec non & illud dici potest*, (scribit lib. 11. ad Gal. in cap. 4.) *quòd in principio adventus sui ad Galatas, contumelias, & persecutiones, & plagas corporis ab his, qui contrahebant Evangelio, sustinuerit: Et hanc fuisse tentationem vel maximam Galatis, Apostolum Christi cernentibus verberari.* Quæ explicatio ut verbis Pauli isto ad Galatas loco congruentissima existit, atq; verissima meritò agnoscitur, ita alteram illam, quæ de Morbo præmissa fuerat, quodammodo extrudit, si non labefactat.

SECT. 14.

Qui ex eadem Verborum Consideratione, ut & Argumentis compluribus aliis, redarguatur Explicatio de Stimulis Venereis.

QVod de *Stimulis* autem *Aphrosidiacis* aliqui suspicati sunt, id profectum haut dubiè fuit ex eorum penetralibus, qui Votorum malè consideratorum rei, experiri in se solent, quàm periculosum accidere soleat otiosis, beneq; saginatis corporibus, obstrinxisse se ad quandam Naturæ injuriam; quamq; molestum sit, ætate vegetâ cohibere vim illam, in quam se profundit genus fermè animantium omne. Sic quidem, quòd in sese, non *Stimulationes* tantùm, sed *Vstiones* etiam sensêre, putârunt σκόλοπος appellatione, non aliud potiùs quàm illas à Paulo designari: maximè cùm *Stimulum Carnis* in Versione sibi tritâ, audirent nominari.

Videri Narrationes oppidò multæ possũt, quæ quod diximus, clarè testantur, in *Vitis Patrum*, uti quidem illæ concinnatissimè editæ sunt *ab Heriberto Rosweido S. I.* p. 37. Item 574. 575. 732. et alibi. Atq; vel una illa, lepidissima fabula, satis hîc fuerit, ut res ea quasi ex communi confessione aliquâ æstimetur, quam Romæ pro Concione protulisse refertur *Pater Franciscus Aquilanus*, de Paulo, apud se pernoctante: quam legere, qui volet poterit, in *Francisci Albani Anatomiâ Pontific. cap. XIII.*

Si Græca autem legissent illi, & σκόλοπα

τῷ

τῇ σαρκὶ dici, conſideratè obſervaſsent, tàm credo in illam opinionem non incidiſsent, ut aliquid potiùs credituri fuiſsent notari, quod ad *Carnẽ cũ vitiis & concupiſcentiis crucifigendam* eſset accommodatum ac directum. Certè quod Latinis ſolet denotari *Crucis* nomine, Græcisq; aliàs ςαυρὸς, dicitur, id σκόλοπος nomine etiam ſignari reperitur. Sic apud *Heſychium* ςαυροὶ dicuntur, οἱ καταπεπηγότες σκόλοπες: Et σκολοπώνυμον, ςαυρόσιμον. Apud *Lucianum, Convitiatorem illum blaſphemum, Salvator noſter, dicitur* ἀνασκολοπισμένος σοφιςὴς, *in Peregrino*. Notum autem, quid inculcet *Paulus ad Galatas* V. cap. *Qui ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt*,[3] ἐςαύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι, καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. Ad quæ, quin oeſtrum etiam illud Libidinis Venereæ pertineat, non utiq; ignorant, aut inficiari poſsunt.

Atq; ſi Paulum ardor exagitaſset illiusmodi, num in ſe ipſo rebimur immemorem eum fuiſse extiturum, *Conſilii*, quod præſcripſit aliis, *in Epiſtolâ ad Corinth. priore cap.* VII. ℣ 9.? Vbi itidem, commate antecedente ſeptimo, aliud ſibi donum à Deo contigiſse innuit: ut Cœlibatum ſvadens, pro temporum conditione, velit quidem omnes homines eſse, ſicut ſe ipſũ, ſubjungat autẽ, providæ correctionis atq; præmonitionis, ergò

ne quis

ne quis hac parte temerario ſeſe laqueo innodet: *Sed unusquisq; proprium donum habet ex DEO, alius quidem ſic; alius verò ſic.*

De quo *Continentiæ dono,* tanto mìnùs dubitandum eſt in Paulo, quanto id certiùs in nonnullis quibusdam omni ævo conſpectum fuit. Quid *Iacobo Fabro Stapulenſi*, contigerit DEI beneficio in hanc partem, ex iis agnoſci poteſt, quæ paulò ante beatũ placidamq; exſpiratione̅ ſuam, jam centenario major, ſa̅ctè de ſua caſtimonia teſtat' eſse narratur, apud *Hubertum Leodium*: Ex quo Hiſtoriam multò memorabiliſsimam in *Indicem Chronologicum* quoq; retulit *Bucholcerus ad Ann.* 1549. Quem quia adire Lectori facile eſse poteſt, ipſa facti notabiliſsimi commemoratione hîc ſuperſedeo. Legiſse quidem eam pœnitebit ſcio neminem.

Nec Paulum verò etiam, ut remedium juſtum non adhiberet, intra *Uredinem*, quam ſic affingere illi quidam non verentur, continuiſset Voti alicuius nexus: Cùm procùl à tali nexu abfuiſse eum intelligamus ex illo, quod *priore item Epiſtolâ cap.* IX *v.* 5. inquit, aſsertione in præſens etiam tum, cũ emphaſi quadam, per interrogationem expreſsâ: *Num quid non habemus poteſtatem Mulierem* (γυναῖκα) *ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli,*

&

& Fratres Domini, *& Cephas*?

Saltem verò illi verborum Pauli Explanatores, quibus collibuit, ex ſuis Stimulis, fingere etiam Apoſtolum, tali oeſtro agitatum, ſaltem, inquam, conſideraſsent quâ Ætate fuiſse Paulus perhibeatur, cùm ſcriberet Epiſtolam iſtam: atq; in ipſo reſtinctos credo ignes tales agnoviſsent: ut deprecatione nec opus fuiſset, quâ defunctum ſe hîc itidem ſignificat.

Non addam, vix fieri potuiſse, ut liberari ab hoc affectu tam inſtanter peteret, nec impetraret tamen, quod piè legitimèq; petentibus, Deus haut recuſat.

Sanè Ætatem jam tùm ultra-Sexagenariam Paulo adſignat, Illuſtris Eccleſiaſticorum Annalium Scriptor, *Baronius*, *Cardinalis*.

Quod ſi quid veri verbis Poëtæ ineſt, cùm ſcripſit jam illo etiam ævo,

Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus,

peirêre hì profectò apud Paulum penitùs, tam illum nunquam otioſum, tam perpetuò laborioſum: ut de ſe teſtetur, *gratis panem ſe non manducaſse ab aliquo, ſed* (ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ) *in labore & fatigatione*, (verba Græca utrumq; denotant cum difficultate conjunctum) *noctem diemq; laborantem: ne quem gravaret*: 2. *Theſſ. III.* ℣. 8.

Non

Non vixit ille ex *Otiosâ Mendicatione*, ut ferè solent Claustrales illi Fratres, vitam agentes cum otio per mendicimonium: sed seriò etiam testatur coram Ephesiorum Presbyteris, ad se convocatis: *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt*, inquit, *ministraverunt manus istæ: Act: XX. ℣ 33. 34.*

Tot istæ rationes, cùm retrahere, Virorum benè consideratorum animos, ab opinione illâ de Apostolo, tam indecente, potuissent, tum verò ipsa, ut dixi, Contextus ratio, si in fontibus eum intueri libuisset, facilè etiam diversum docuisset. Sed usq; fuére, qui luce etiam commonstratâ, hoc nostro seculo, noluerunt tamen, à *Stimulis* illis, tam *indecoris*, Apostolum agnoscere exemptum.

Sanè plusquam seculum jam abiit, cùm vir doctissimus, *Erasmus Roterodamus*, Novi Testamenti Versione de fontibus Græcis repurgatâ, de hac ipsâ etiam re graviter monuit. *Quod nonnulli Stimulum hunc* (scripsit in Annotationibus suis) *interpretantur motus & affectus libidinis, demiror ulli docto Theologo placere. Quid n. absurdius, quàm putare, tantum Apostolum jam senem, adhuc sollicitari urticâ libidinum, & ita sollicitari, ut hac gratiâ sit*

con-

coactus, ter interpellare Dominum. *Movet istos mentio Carnis, ac statim putant de Venere verba fieri: quemadmodum Augustinus, Concupiscentiæ vocem, fermè interpretatur Affectum coitus: quùm Paulus omnem affectũ humanum, qui non proficiscitur à Spiritu Dei, carnẽ appellet.*

Ante etiam Erasmum, jam ista olim monentem, *Iacobus Faber* quoq;, cujus antè meminimus, cùm pari ratione Novi Testamenti Versionem sibi, ejus quod ageret Erasmus ignarus, sumsisset tractandam, *in Commentariis An.* 1512. *Parisiis* evulgatis, oculos aperire cœcutientibus in eadem re studuit. *Sunt,* inquit, *qui id*, Datus est mihi Stimulus carni Angelus Satan, qui me colaphizet, *pro Titillatione luxuriæ, & Tentatione carnis, intellexerunt. Et arbitror maximè apud nos, id est, Latinos, Veterem Interpretem ejus rei præbuisse occasionem, quod pro palo, sude, aut flagello, verterit, Stimulus. Et id de Paulo, tam Spirituali, Sanctoq; viro sentire, indignum & nefas puto. Neq; unquam, arbitror, id nostri scripsissent, nisi Vetus Interpretatio ad id sensus eorum torsisset. Et veniâ dignos censeo. Nam si Paulum in Paulo legissent, pro eorum pietate & miti ingenio, intelligentiâq;, etiamsi superior gratia defuisset, aliter sensissent. Quomodo n. huiusmodi tentatio carnis, seu motionem, sive impetum, sive titillationem dicas, aptè Palus,*

Sudesve dicitur? Id enim designat σκόλοψ, *quo vocabulo Paulus utitur. Quomodo Angelus Satan? Quomodo colaphizare, id est, cedere & percutere?* Ac tandem: *Indignum est audire nonnullas, quas quidam, absq; DEO (arbitror) & Spiritu homines, de hoc loco finxêre fabellas, & novas, quæ nunquam Paulum attigerant infirmitatum præstigias. Faxit DEus, ut qui hæc legerint* (subdit sub extremum Pientissimus Faber) *Spiritualiora & Veriora cogitent, & non ex infirmitate damnatæ naturæ judicent Spiritualium infirmitatem, quæ est ad Christi IEsu Salvatoris omnium, & Illuminatoris omnium, Imitationem.*

SECT. 15.

Excussio rationum, per quas, Cornelius â Lapide, Stimulos *in Paulo* Venereos *nostro usq; seculo asserere conatur?*

Isthæc quamvis sic piè graviterq; tanti illi Viri jam olim monuerint, voverintq;, reperiuntur nihilominus hodieq; inter eruditissimos, ex Pontificiis, aliqui, qui pudendæ Explicationis illius futilitatem, (tantū abest, ut agnoscant,) propugnare etiam disputando connitantur. Placet sibi præ aliis post alios, postq; ipsum etiam *Bellarminum*, in

eâ sen-

eâ ſententiâ aſserendâ, *Cornelius à Lapide* Cômentatorum hodiernorum celeberrimus, putatq; ſex rationibus ſententiam illam, præ tribus aliis quas rejicit, ſatis probari poſse.

Sed rationes eas, ſi juſta lance appendas, leviores omnes facilè deprehendes, quàm ut aſsenſum hominis, ad Textum ſacrum, ſatis attenti, & cum judicio illas expendentis, impetrare ullo modo poſsint.

Prima quidem illa eſt, quæ ex Verſione Vulgatâ petitur, ſeu ex eâ τȣ͂ σκόλοπος interpretatione, per quam Carni Stimulus, Spiculum, aculeus, impreſsus & infixus, ſeu, ut tandem inquit, *carni inhærens*, ſeu *in carne* & *â carne excitatus*, fingitur.

Sed hanc Verborum Apoſtolicorum Interpretationem, â Textu Originario aberroneam eſse, ex iis conſtare poteſt, quæ jam dicta ſunt, conſtabitq; luculententiùs ex iis, quæ paulò poſt, pro totius textus huius preſsiore conſideratione, ſubjungentur. Et *Stimulus aculeusve* omninò hîc agnoſcendus eſt, non *in carne*, aut *â carne* excitatus, ſed *carni* extraneè moleſtus. Qualis non eſt concupiſcentia â Dæmone excitata, quæ carni grata eſſe, & ſvavis ſolet exiſtere, Spiritui autem moleſta: ut illam metonymiam, quâ cauſa pro effectu, & auctor pro opere ſuo ponitur, hîc
minus

minùs etiam in nomine Angeli Satanæ, (quod *Cornelius* opinatur) locum inveniat. Qui Commentator, dum inquit, *Dæmon humores commovendo, sangvinem accendendo, Spiritus generationi subservientes excitando & inflammãdo, Pauli phantasia turpes imagines objiciendo, concupiscentiam quasi sopitam, totq; laboribus, inediis, ærumnis penè mortificatam, suscitabat, & ad turpes libidinis motus commovebat & acuebat, &c* plura omnino affirmat, quàm credere ullus teneatur, nisi testimoniis rationibusq; gravioribus quibusdam. fidem faciat.

Neq; verò, (quam *secundam* rationem affert) id, quod ad Rom. VII. ℣. 23. legitur, eo referri etiam convenit: ut non generatim *de Concupiscentiâ contra Legem*, potiùs accipiatur, quàm speciatim *ad carnis illam Lasciviam*, referatur: quamvis & ἐπινίκιον, quod Apostolus ibidem subtexit, ℣. 25. facilè excludat, impuriorem illum ab Apostolo sensum. Et dum agnoscit *Cornelius*, propterea Paulum 1. *Cor. IX.* castigasse corpus suum, jam animadvertere quoq; debebat, aliud notari, quàm quod domare in sese ille nescierit.

Quod porrò, *tertio loco*, putat, *si quid aliud fuisset, clarè id explicaturum fuisse: jam autem rem ita verecundam & pudendam, ipsum tegere, vocareq; metaphoricè Stimulum*: in eo,

 poste-

posterius itidem gratis sumit; prius frustrà desiderat: cùm satis planis verbis hic utatur Apostolus, & quid velit significet, si dignè modò ac rectè ad Verba ipsa Apostoli animum Lector attendat: ut ex sequentibus postea magis clarebit.

Nihilo efficacius est, quod *quartæ* rationis loco affert: Nempe, *hunc stimulum datum esse ei, ad ipsum humiliandum: Nihil autem castos & virtutis amantes ita humiliare, atq; hanc carnis tentationem; nihilq; eos ita continere ut cum metu & tremore salutem suam operentur: &c.* Nam, utut tentatio talis, facere eo, quo retur *Cornelius*, admodùm possit, ad Humiliationem nempe generatim sic spectatam, & ad sollicitam quandam sui custodiam: Hoc tamen loco non de Humiliatione quacunq; agi cogitandum est: sed de eo, ne ob Excellentiam Revelationum sese efferat, eas fortè temerè effutiendo. Cui rei utiq; aliud accomodatius remedium adhiberi potuit, quàm *Cornelius* hîc sibi, ex inveteratâ antecessorum opinione, etiamnum imaginatur: Vti deinceps spero, in pressiore verborum Apostoli explicatione, ad oculum elucescet.

Cùm *quinto* loco id etiam urget, *quòd istæ carnis tentationes, propriè Sanctos non lædant, sed*

ſed tantùm colaphizent, id eſt, ruborem ac mærorem incutiant: ſicut qui à Socio colaphum accipit, non tam dolore, quàm pudore ſuffundatur: In eo viſus eſt parum meminiſse, quòd tentationes illiusmodi, non tantùm ruboris aliquid offerant, ſed per multum etiam impedimenti pariant in Functionibus & Meditationibus, quales Apoſtolo incumbebant: ut vel earum intuitu, ſequeſtrare ab ipſo; Pietas; ſuſpiciones illarum, jubeat. Vix morbus, aut afflictio quædam exterior, ita ſevocare animum poteſt, ut illiusmodi ſtimuli ſolent. Et remedium illis Uſtionibus, non temerè ſuggeſsit ipſe Apoſtolus, eodem utiq; uſurus, ſi opus fuiſset: cũ, *Melius eſse nubere, quàm Vri*, teſtatus ſit. Quod ſi alia hic minus probantur, (ipſius etiam Cornelii judicio) quæ Muneri Sanctiſsimo Apoſtoli, obſtaculo videbantur eſse poſse; *Morbi* præſertim, agnoſcere idem debuiſset, nec morbo illi, locum hîc eſse poſse, quo vix infeſtare & obnubilare mentem alius æquè ſolet. Notum illud *Menandri in Andriâ*, apud *Stobæum Serm. LXII.*

Τὸ δ' ἐρᾶν ἐπισκοτεῖ ἅπασιν ὡς ἔοικε,
καὶ τοῖς εὐλόγοις καὶ τοῖς καλῶς ἔχουσιν.

H. e. *Venereus ardor tenebras offundit omnibus, ut videtur, Etiam illis, qui ſecundum bonam rationem & decenter affecti ſunt.*

Patrum auctoritatem, *sexto loco* adducit, qui ita etiam ipsi sentiant: ut *Augustinus* 2. *Conc. in Psal. LVIII. Hieronymus* ad Eustochium, de Custodiâ Virginitatis; *Salvianus*, Sermone de Circumcisione, qui falsò adscribatur S. Cypriano; *Haymo*; *Theophylactus*; *Anselmus*; *Beda*; *Thomas*; *Liranus* & alii.

Quàm istis nominibus parum proficiatur, ad Veritatem solidè evincendam, nihil nunc attinet dicere. Pleraq; sic obtenduntur etiam magis, quàm ut inter testes deputari possint, qui asserant.

De *Augustino* jam suprà visum est, quàm verba ejus ab illâ expositione longè absint.

De cæteris plerisq; idem asserit, *Chamierus*. *Hieronymus*, aculeos carnis; *Salvianus* aut *Cyprianus*, Stimulos carnis de Paulo dum commemorant forsan, nihil sic tamen de loco, quem potissimùm tractamus, affirmant: ut eo ille referatur. Et cùm *Cornelius* ipse, aliarum etiam Sententiarum Auctores, ex Antiquitate sacrâ nominet, haut minoris census, quod præsertim attinet ad explicationem de Persecutionibus, (ubi *Chrysostomum*, *Theodoretum*, *Ambrosium*, *Oecumenium*, *Theophylactum*, item, quem tamen in alteram quoq; partem, quâ fide adducere

potuę-

potuerit, ex ſuperiùs jam dictis conſtare poteſt: ut & p. 408. *Baſilium*, *Auguſtinum*, tanquam approbatores deſignat) vanus eſt profectò Teſtibus iſtis ſuis, in diverſum nunc introducendis. Vt & eo, quòd non niſi ex quorundam errore invaluit, atq; inter erroris ejus aſseclas obtinuit, ut libidinis tentationes Stimulum carnis vocare plerią; omnes videantur. Communis quidem fidelium ſenſus hîc malè fingitur, ubi vel ex errore etiā Vulgi inveteraſse in loquendo formula quædam animadverti poteſt: quod locis aliis nonnullis etiam in Scripturâ Sacrâ agnoſcendum venit: tantum abeſt, ut hîc, vox populi, vox DEI eſse agnoſci debeat.

Atq; quocunq; tandem modo *Cornelius à Lapide*, contra *Eraſmum Fabrumq;* tueri nitatur, Stimulum libidinis indecorum & indignum non fuiſse tanto Apoſtolo, eoq; jam ſene: nunquam tamen impetrabit, ut verba Pauli illa neceſsum ſit ad eam rem detorquere, in quam à temerarii Cœlibatus Conſecraneis, pro ſuo quaſi ſolatio quodam, perlubenter accipi ſolent.

Nec verò etiam, ubi Stimulum ſic intellectum, in ſtatu lapſo, non eſse indignum, ſed utilem potiùs, ex *Gregorio* probat, 19. *Moral. c. 5. & 6.* Item ex *Anſelmo*, illi omnino

id scribere reperiuntur, quod ipse affirmat. Vti nec eo necessariò spectat, quod *Nazianzenus* jam Senex de Carnis suæ malo conqueritur, *Epist.* 96. & in *Carmine de Carne suâ.*

Pauli quidem ætatem, dum Senem tum nondum fuisse vult evincere, vix satis congruenter æstimat ad calculum *Baronii*, de quo antè: cùm ipse sub Conversione velit eum fuisse XXV annorum, aut XXVII: Annum autem, quo Epistolam istam scripserit, extitisse à Conversione XXII: ut scilicet sic quinquagenarium faciat, quem *Baronius* Sexagenario majorem statuit. Sed parum hic, vir cæteroquin doctissimus, cùm causæ servire studeret, memor sui ipse fuit: Siquidem *in prooemio, de Prærogativis S. Pauli, cap.* VI. ex Chrysostomo, qui fuerit Pauli studiosissimus atq; peritissimus, rationem ætatis eam inivit: ut ad Christum conversum fuisse ipsum affirmet, anno ætatis suæ XXXIV: cùm occubuisse eum tradat Chrysostomus, anno ætatis LXVI. *Cùm occubuerit*, inquit, *anno Neronis* XIII, *ut communior & verior habet Chronologorum sententia: sequitur eum occubuisse anno* XXXIV. *à suâ conversione: anno verò* XXXVI, *à Passione Christi. Tot enim annos scilicet* XXXVI, *invenies, si ab anno Neronis* XIII. *retrocedas, & computes ad annum Tiberii* XIIX. *quo passus est*

Christus. Secundo autem anno à Passione Christi Conversus est Paulus. Rursum, si Paulus conversus ad Christum, XXXIV. annos laboravit pro Evangelio, & anno LXIIX. occubuit, sequitur eum ad Christum esse conversum pariter anno ætatis suæ XXXIV: ut totidem annos vixerit post Conversionem, quot antè. Sin. duplices annos XXXIV. conficies LXIIX. quæ est integra ætas vitæ S. Pauli.

Quin de altero illo XXV. annorum calculo, expreßè ibidem in Prooemio subjungit *Cornelius*: *Alii volunt, Paulum Conversum esse anno ætatis* XXV, *eo, quòd a Lucâ vocetur adolescens, in lapidatione S. Stephani. Verùm* (ait, id ipsum subruens, quod in loco præsenti explicando postea pro suæ sententiæ propugnaculo habet) *pro, adolescens, Græcè est*, νεανίας, id est, *juvenis: item, homo audax, juvenili audaciâ & ferociâ præditus, qualis erat Paulus, anno ætatis* XXXIV. Sic igitur *Cornelius* ille, ipse sibi adversatur, suæq; causæ subsidia, alibi depulsat. Quamvis in nomine νεανίου nihil etiam necesse habuerit, ad alteram illam significationem se referre: cùm nomen illud, seu adolescentis, non simpliciter etiam sic dicti, sed admodùm adolescentis, usu tum prophano, (ut videre est apud *Antonium Bendinellum loc.* V.) tùm Sacro etiam

majoribus computat, quàm qui annorum xxxiv. tantùm censeantur: Siquidem non tantùm Ebræo, *Nagnar*, respondet, quod ad ætatem minorennem usitatiùs refertur: sed & nomini *Bachur*, interdum exprimendo, accommodatur: quo denotari omnis illa ætas solet, quæ ad militiam seligi apta est, ut liquet ex iis, quæ præcipiuntur. *Num.* I. ℣. *3*. 20. *26*. *&c.* si conferas cum locis, in quibus νεανιῶν nomen expressè in Græco offendes, 2. *Sam.* VI. ℣. I. & X. ℣. *9*. I. *Reg.* XII. ℣. 21. I. *Par.* XIX. ℣. 10. Et diserta inter νεανίας καὶ πρεσβυτέρους oppositio occurrit *Prov.* XX. ℣. 29. κόσμος νεανίαις σοφία. δόξα δὲ πρεσβυτέρων πολιαί. *Ornatus juvenum, Sapientia: Senum dignitas, seu gloria, Canities.* Quâ ratione tamen alteram illam significationem, ut νεανίας designet, audacem & strenui Spiritus hominem, seu juvenili proterviâ & ferociâ præditum, minimè negamus suis quibusdam locis usuvenire: utpote à Lexicographis quoq; annotatam, & probè ostensam à *Stephano*; à *Casaubono* item, *in Exercitatione primâ ad Apparat. Annal. Eccl. Baron. num.* XXXVI. Vtut narrationi Apostolicæ illi, in Actis, ubi Paulus νεανίας vocatur, accommodandam posteriore sensu, haut censeamus: cùm ea res plus satis alibi commemoretur, quæ ætati illi

soleat

ſolet eſse conſectanea: iſthîc autem ad ætatem magis reſpici manifeſtum ſit.

Habeat verò, uſum ſuum, Tentatio illa Fornicationis etiam, qualem in *Diſcipulo quodam* depingere Veteribus libuit, in *Vitis Patrûm lib. 3. c. 8.* ut tanto ſcilicet, per occaſionem impugnationis iſtius, jejunaret ampliùs, toleraret ſeſe in vigiliis & orationibus ampliùs: (licet inter iſta etiam exercitia deſperaſse Pachon referatur, ut in Speluncam Hyænæ ſeſe immitteret, uti refertur in V. P. p. 732) aliùs tamen ille uſus exiſtit, quàm qui in Paulo hîc propriè ſpectandus venit: ut nempe ſe non efferret, ob revelationes ſuas: aliisq; verbis remedium eò faciens ab ipſo exprimitur, quàm ut iſthuc referri ea, ſeu congruat, ſeu neceſse ſit.

Cujus porrò paulò ante facta mentio fuit, *Iacobi Fabri Stapulenſis*, is adverſum eandem illam explicandi rationem, in Commentariis ſuis, nervoſè ita diſserit: ut non abs re facturus, aut malam apud Lectorem, teſtium, vel antè noſtrum ſeculum ſuppetentium, cupidum, initurus mihi videar, ſi ipſa eius verba hîc ſubjiciam. Raris n. hodie illa Commentaria in manus veniunt. Sic igitur ille: *Sunt qui id*, Datus eſt mihi Stimulus Carni, Angelus Satan, qui me cola-

 phizet,

phizet, *pro titillatione Luxuriæ, & tentatione carnis intellexerunt. Et arbitror, maximè apud nos, id est, Latinos, Veterem Interpretem eius rei præbuisse occasionem, quòd pro Palo, Sude, Flagello, verterit, Stimulus. At id de Paulo, tam Spirituali, Sanctoq; viro, sentire indignum & nefas puto. Neq; unquam arbitror, id nostri scripsissent, nisi Vetus interpretatio ad id sensus eorum torsisset. Et veniâ dignos censeo. Nam si Paulum in Paulo legissent, pro eorum Pietate & miti ingenio, intelligentiâq;, etiam si superior gratia defuisset, aliter sensissent. Quomodo n. huiusmodi tentatio carnis, seu motionem, sive impetum, seu titillationem dicas, aptè Palus, Sudésve dicitur? Id enim designat σκόλοψ quo vocabulo Paulus utitur. Quomodo Angelus Satan? Quomodo colaphizare, id est, cædere & percutere? &c.*

Atq; deinde, sub finem, ubi suam sententiam antè interposuerat, de pressuris, quam paulò pòst quoq; seorsum excutiemus, graviter subdit: *Et indignum est audire nonnullas, quas quidam absq; DEo (arbitror) & Spiritu homines de hoc loco finxêre fabellas, & novas quæ nunquam Paullum attigerunt præstigias. Faxit DEus, ut qui hoc legerint, Spiritualiora & veriora cogitent, & non ex infirmitate damnatæ naturæ judicent Spiritualium infirmitatem.*

tem, quæ *est ad Christi Iesu, Salvatoris omnium, & Illuminatoris imitationem.* Hæc Iacobus Stapulensis.

Vtut autem sententiam de *Carnali tentatione* illâ, antesignani sic aliquot inter Iesuitas, *Bellarminus* puta, atq; *Cornelius à Lapide*, propugnare etiam ausi fuerint, ejusdem tamen ordinis Scriptor, multô item celeberrimus, *Sebastianus Barradius, Olisiponensis Theologus*, re attentiùs etiam secum consideratâ, in diversum ire non dubitavit. Neq; rationes idem nullas protulit, cur sententiæ illi minùs accedendum arbitretur, cùm *Tom. 2. Commen. in Concord. & Histor. Evagelist. lib. 2. cap. 8.* aliorum sententiis adductis, scripsit: *Ego verò existimârim, Paulum de Carnali tentatione minimè loqui. Neq; n. ea hæc est tentatio, de quâ publicâ Epistolâ fuerit agendum. Ipse Paulus in consequentibus indicat, cuiusmodi fuerit hæc tentatio & stimulus carnis, cùm subjicit:* Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo, Cum n. infirmor, tunc potens sum. *Nullam fecit carnalis concupiscentiæ mentionem. Fecisset autem, si hæc potissima fuisset ipsius infirmitas, propter humilitatem permissa. Stimulus igitur Carnis illius, mira Virginitate præcellen-*

tis,

tis, non turpis commotio fuit: Sed Contumeliæ, necessitates, ærumnæ, persecutiones, & pericula, quæ Satanæ Angelus excitabat. Lege secundam ad Corinthios Epistolam, c. 11. Hoc indicant etiam illa Pauli verba ad Gal. 4. Scitis, quia per infirmitatem Carnis Evangelizavi vobis, jam pridem, & tentationem vestram in carne mea non sprevistis, neq; respuistis: sed sicut Angelum DEi excepistis me, sicut Christum Iesum, &c. h. e. *Cùm non honoribus clarus, sed contumeliis & persecutionibus obscurus, Evangelium vobis prædicaverim, hanc tentationem vestram, quam in carne mea cernebatis, hunc Stimulum carnis meæ, non sprevistis: sed veluti Angelum & Christum complexi estis. Itaq; sensus Pauli hic est,* (subjicit tandem Barradius) Datus est mihi Stimulus carnis, Angelus Satanæ: *id est, datus est mihi Stimulator carnis meæ, Angelus Satanæ, qui carnem meam variis Persecutionibus, Contumeliis, & Tentationibus stimulet, ac divexet per se, administrosq; suos, ne revelationum magnitudo, (græcè hyperbole & excellentia) me efferat.*

Hæc Iesuita, professor Eborensis, in sententiam longè aliam, quam á Professore illo Romano propugnari vidimus. De quâ ipsâ tamen Iesuitæ hujus sententiâ, quia coincidit cum eâ, quæ aliorum etiam & olim fuit, & hodie

hodie eſse deprehenditur, ſuo preſsiùs loco jam actum eſt.

SECT. 16.

Quid de Theclâ, *ratione* Venereæ Irritationis, *ex Antiquitate & Veritate judicandum ſit.*

DE *Thecla*, ſi qui opinati ſunt fortè, tentationem Paulo obortam eſse, neceſse eſt, ut eam familiariùs converſatam cum eodem fuiſse ſtatuant, aut ſimul circumductam. Sed de contrario conſtat potiùs, ex ipſis Pauli verbis, quibus 1. *ad Corinth.* IX. ℣. 5. ſignificat, ſe Mulierem non circumduxiſse. Et quid neceſse fuiſset, deprecari DEum, ſi iſta tentatrix fuiſset, ἵνα ἀποςῆ, quam potuiſset ipſe, ac debuiſset etiam à ſe removere? *Fabula* porrò illa *de Thecla*, originem traxiſse potiſsimùm videtur, ex libello, qui inſcribitur, *Pauli & Theclæ Periodi*: quem rejiculum & apocryphum cenſent, non Antiquiores tantùm Eccleſiæ Doct. *Tertull. lib. de Baptism. c.* 17. *Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, de Luca; *Gelaſius*, *can. S. Romana*: Sed & Recenciores non pauci inter Pontificos, nominis maximi: *Canus de*

de Locis Theolog. lib. XI. *c.* 6. *Baron. Tom.* I. *an.* 47. *f.* 2. *Cornel. de Lapid. in Comm. ad Epl. Paul.* De cætero, quod Theclæ historiam attinet, habeat se sanè res ita, ut Veterum quorundam testimonia perhibent: quòd nimirum, Virgo Nobilis ea, conversa ad Christum fuerit, Pauli ministerio, Iconii: quod legere est apud *Greg. Nyssenum Homil.* 4. *in Cant*: apud *Augustin. lib.* XXX. *contra Faust. c.* 47. apud. *Epiphan. Hæres.* 78. Illud tamen à veritate nimis quàm abscedit, quòd tonsa, & virilem vestem induta, comitantibus quibusdam juvenibus, ad Paulum profecta sit: & deniq; ab eo discedens in Seleuciam pervenerit, ibiq; mortua sit: cùm Paulus. Fœminam virili togâ indui, nuspiam docuerit, ac contrarium potiùs inculcârit: 1. *Cor.* VII & XI. Vti illud quoq; ex eadem Pauli doctrinâ dubium evadit, quod *Epiphanius* tamen affirmare ausus est: quòd in Paulum incidens, à nuptiis fuerit exsoluta: cùm Sponsum, (γάμον ὀξμαςὸν) haberet formosissimum, ditissimum, generosissimum, illustrissimum.

Aliter quidem *Nyssenus* rem narrat, quàm ut de Paulo suspicari aliquid liceat sequioris affectus: Siquidem, *Talem* ait, *myrrham olim infundebat Paulus ex ore suo: mixtam cum puro*

puro Pudicitiæ lilio, in Sanctæ Virginis aures. Ea verò erat Thecla, quæ præclarè animo defluentibus de lilio guttis hominem externum morte oppressit, omni cupiditate extinctâ.

Aliter item *Augustinus* ejusd., meminit: (quamvis sic aliquid de desponsatione præcedaneâ involvat) cùm, *In vitâ*, inquit, *contemnit terrena Sancta illa: & oppignorata thalamo, in amorem perpetuæ Virginitatis, Pauli eloquio succensa est.* Ergone Sanctitas in Paulo, per eloquium, tam fuerit efficax extra ipsum: ut Virginem juvenculam, vegetam, abstraxerit à Sponso nobilissimo, ditissimo, & ad Castitatis vota planè perduxerit: nec in seipsomet tamen præstitit pectori ejus præsidium, ut tutum id foret adversum eos, qui deforis impetere illud possent, impuriores Stimuli! Videre porrò Lector, ad rem eam, si ita allubeat, minutiùs eventilandam, poterit, *Virginis ejus vitam*, ut, ex diversis auctoribus à *Ga. Morellio* excerpta habetur, in Cypriani operibus, paulò antequam ex hac vitâ migraret, ab eo excusis. Collegit de eâdem diligentissimè haut pauca *Espencæus, Theologus Parisiensis clariss.* In Scholiis, quib' Theclæ ad Paulũ Epistolam illustravit. *Nicetas* eam locis aliquot, vocat *Virginum Protomartyrem*, ut Stephanum Virorum.

SECT.

SECT. 17.

Quid tribuendum explicationi de Concupiſcentiâ *generatim dictâ.*

QVod *Concupiſcentiam* attinet, & *Reliquias peccati*, *labisq; Originalis*, generatim ſpectatas, etiamſi Paulum ab iis haut exemtum arbitremur fuiſse: illæ tamen σκόλοψ τῇ σαρκὶ ita fuiſse, ut retunderetur affectus in elationem pronus, parùm congruenter cogitari poſsunt. Nam Caro ipſa, & quidem, quà Concupiſcentia ſpectatur in illâ, horſum hominem, ſuis Stimulis & Concupiſcentiis agit haut leviter: ut efferri cupiat, ut eminere ſuper alios affectet. Sic ipſa igitur mali Scaturigo, de cuius remedio hîc agitur, remedii loco ſibi eſse ſtatueretur, morbusq; idem ipſe ſibi curationem præſtaret: quod parum eſt rebus ipſis per naturam conſentaneum.

Et quod Paulus de iis, qui Chriſti ſunt affirmat, *ad Gal.* v. ℣. 24. quòd crucifixerint carnem cum affectibus & Concupiſcentiis, (σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις,) an id de aliis verum eſse admittetur, in Paulo ipſo minùs agnoſcetur? Inter Concupiſcentias autem, plurativo numero dictas, puto comprehen-

detur

detur quoq; affectionum illarum malarum, quæ hîc aliàs cogitatur, exuberantia. Quî Christi autem fuerit Paulus, ex eo præclarè licet animadvertere, cùm eadē Epistolâ c. 11. ℣. 20. scripsit, *Vivo, non ampliùs ego, sed vivit in me Christus.*

Mirari propemodum subit, quî fieri potuerit, ut quæ Paulus sic affirmat περὶ σκόλοπος τῇ σαρκὶ sibi dati, non eo potiùs traxerint viri eruditissimi, ut in σκόλοπος nomine, ipsum σαυροῦ nomen sibi ob oculos animi ponerent: atq; sic crucifixionem carnis illam, vel vi quadam vocis ejus, hîc agnoscerent. Istam n. vocis ejus significationem *Hesychius* facilè poterat suggerere, ut & Lexicographorum pleriq;. De eâ tamen, suo posteà loco erit, ut pressiùs, quid omninò huc quadret, exquiramus. Saltem id hoc loco satis est cogitasse, cùm concupiscentia sit velut nativa carnis indoles: & Caro disertè dicatur concupiscere adversum Spiritum: *Gal.* v. ℣. 17. num carni σκόλοψ esse censeri possit id, quod à carne maximè propullulat, eidemq; proprium ac nativum est?

Placuit sanè ista, de *Concupiscentiâ* expositio, Auctoribus nominis longè celeberrimi, quos suprà indigitavimus. Sed eam ob rationes, quas sic aliquas modò explicavimus,

vimus, haut temerè à nobis repudiari, consideratus Lector, spero, non obscurè perspiciet. Atq; id, quod in præmissâ proximè sententiâ, ab iisdem, quos diximus magni nominis viris, aliàs reprehendi solet, involvitur idē ipsū in hac quoq; explicatione, suo modo, si Concupiscentiā generati hîc interpretemur. Nam illa sic dicta, *Stimulos* etiam sub se *Venereos* complectitur: ut quæ in parte unâ absurditas vel inconvenientia agnoscitur, ea in parte geminâ quoq;, atq; sic tandem in toto ipso, tanquamq; homogeneo, seu partium quasi similarium, agnoscenda veniat.

Neq; primi etiam sic sumus, qui interpretationi, à tantis Auctoribus munitæ, dicam scribimus. Egit idipsum non ita pridem ante nos præ aliis, Theologus celeberrimus, *Pet. Molinæus* in *Vate*, quem sic inscripsit, suo, cap. XII. cuius adeò verba, tanquamq haut leve rationum plurium pondus, ad minuendam opinionem illam, afferentia, subtexere hoc quoq; loco lubet. Is igitur Vir summus, *Sententia*, inquit, *quæ per Stimulum in carne vult intelligi Reliquias Peccati, præcipuè verò aculeos Superbiæ, longissimè abest à vero. Nam nec Stimulus ille datus est Paulo à DEo: nec ei datus est, post raptum in tertium cœlum,*

cœlum, utpote quam Paulus habuit ab ipso ortu. Nec DEus eum à tam sanctâ & necessariâ precatione revocasset. Nec potest per Stimulum in carne intelligi Stimulus in Concupiscentia, *cùm ipsa concupiscentia sit Stimulus.*

Præcipuè verò id quod de Superbiâ dicitur, evidenti Contradictione intricatur. An n. aculei Superbiæ fuissent ejus cordi infixi, ad retundendam ejus Superbiam, & ne revelationibus intumesceret? An data esset ei Superbia, ne Superbiret? Hæc Molinæus.

Egit idem ante Molinæum etiam, *Andreas Rivetus, Professor Academiæ Batavæ Celeberrimus,* in Catholico Orthodoxo, Tract. 4. quæst. 14. ubi scripsit: *Quamvis Augustinus, Stimulum illum carnii infixum, de quo conqueritur Paulus, ad Concupiscentiam retulerit: loci tamen circumstantia, & ipsa Apostoli verba ostendunt, eum loqui, non de tentatione, quam pateretur, ab aliquo principio naturâ inhærente, qualis Cestoncupiscentia, quæ etiam omnib. hominib. communis est & ordinaria: Cùm tamen satis appareat eum conqueri de antiquâ extraordinariâ vexatione non innatâ, sed datâ &c.* Et paulò pòst: *Agnoscit autem illud sibi fuisse datum, nempe à DEo, in bonum finem. Unde sequitur, Stimulum illum seu Surculum infixum non fuisse vitiosum, sed durum & importunum, ut sunt*

 tribu-

tribulationes variæ, quibus obnoxii sunt fideles &c. Sic Rivetus.

Posſent addi præter iſta, alia inſuper quædam. Sed ubi poſtea res tota ex ſcopo & genuinâ verborum conſideratione penſitata ſuerit, vel iſta etiam in nimiis & ſuperabundantibus numerari poterunt. Et de reliquis nonnullorum Interpretationibus breviter quoq; videndum eſt.

SECT. 18.

Quo loco habenda ſit Explicatio, de Blasphemâ Cogitatione *quadam, quâ Paulus fuerit divexatus.*

B*Laſphema Cogitatio* quædam, quæ Stimuli ſurculive inſtar lancinare animũ Pauli potuiſset, quam arbitrantur aliqui Satanam in animo Pauli ſubinde excitaſse, illa verò itidem, nec Pauli verbis etiam hîc ſatis exiſtit conſentanea, nec iis etiam congruit, quæ vel de Paulo cogitare convenit, ſi ſeu ea ſpectentur, quæ de ſe teſtatur ipſe; ſeu ad illa etiam animus attendatur, quæ requirit in Chriſtianis.

Non certè ad aliquid in animo quid fiat, ſeu animo quid accidat, Pauli verba hîc ſeſe refe-

referunt: ſed tale quid notant, quod carni accidat, ſeu quod carni cohibendæ, ejusq; appetitionibus retundendis, exiſtat idoneum: ut ne id addam, deprecationem blasphemæ Cogitationis minimè cenſeri talem poſse, quam Deus nolit exauditam.

Confirmatiorem verò etiam Paulum de Divinâ Veritate, Chriſtiq; gloriâ, ac rebus Spiritualibus ac cœleſtibus fuiſse liquet, quàm ut blaſphemis cogitationibus, in Sanctiſsimâ & illuſtratiſsimâ mente ejus locus eſse potuerit. Conſideretur mihi Vocationis, quæ ſingulariſsima ipſi contigit, Majeſtas: conſideretur per ἔκστασιν illam, ſeu raptum in cœlum usq; tertium Viſio, rerum ſupercœleſtium, Auditioq; τῶν ἀῤῥήτων: Conſideretur ἀποκάλυψις ſeu detectio gloriæ ejus, quâ futurum eſt revelari tandem (ἀποκαλυφθῆναι.) in nos: Rom. VIII. ℣. 18. & quanta ſic lux animo ejus, ſvavitasq;, infuſa & impreſsa fuerit, obſcurum eſse non poterit: ut perabſurdum ſit, blaſphemarum cogitationum offuciis in tantis fulgoribus locum aliquem facere. Blasphemæ n. Cogitationes, quid eſse aliud poſsunt, quàm quæ ad Deum ipſum, ad res divinas ac cœleſtes, ſiniſtrè traducendas, & maculâ quadam verborum aſpergendas, tendunt? Quas tam à Paulo

abfuiſse, ob lucem illam animo ejus, utraq; vice impreſsam, putem: quàm abeſse à nobis in naturalibus ſolet, ut, oculis nobis benè illuſtratis, tenebras, & neſcio quid fuſci furvive, ſtellis ſolive adſcribere, vel cogitando, audeamus. Si Benignitatem, ſi Sapientiam, ſi Potentiam, ſi Miſericordiam, ſi Rectitudinem, ſi Juſtitiam, Virtutesq; alias in Deo ſpectemus, quarum reſpectu blasphemia in Deum, ſi quid illorum negetur, aut contrarium illi affingatur, maximè cerni ſolet, has ipſas certè Paulus ſanctiùs omnes agnovit, tùm revelationum illarum beneficio, tùm variæ experientiæ documentis: quàm ut quicquam ſubire in contrarium ſanctiſsimo ejus animo potuiſset, quod adeò blaſphemiæ aliquid involveret. Severiſsimè ſemper in ſuis ſcriptionibus amolitur, quicquid cum blaſphemiâ in Deum conjungi, vel illi affine eſse animadvertit. Rom. II. ℣. 74. & III. ℣. 8. & XIV. ℣. 16. Sic & ubi, τὸ μὴ γένοιτο ſubjungit, c. IX. ℣. 14. & alibi.

Quod ſi blaſphemi quiddam animo ejus ſubjectum fortè per impudentiam Satanæ fuiſset: aut in cogitationem quacunq; tandem ratione veniſset: an id verò fuiſset, per quod σκόλοψ τῇ σαρκὶ contingeret: per quod Caro ab Elatione cohiberetur? Si in ſe qui-

quidem Caro ſpectetur, nec Chriſti Spiritu coherceatur, operibus iſtiusmodi fæcunda eſſe ſolet], quæ blaſphemiis affinia ſunt. Ex Corde prodeunt, uti in carne id agnoſcendum venit, præter alia peſsimi cenſus crimina, etiam βλασφημία, ὑπερηφανία, ἀφροσύνη, ut teſtatur Sevator noſter *Matt.* VII. ℣. 22. Quæ ne in Paulo locum invenirent, per σκόλοπα τῇ σαρκὶ, ſeu palum Carni adhibitum, fieri potiùs cogitandum eſt: Tantum abeſt, ut in talium cogitationum exſuſcitatione σκόλοψ ille veriſimilitudine ullâ conſtitui poſsit.

Jam quicquid etiam Satanas injectare animo Pauli ſategiſſet fortè, inſtructiorem cogitare Paulum à πανοπλίᾳ Spirituali fuiſſe convenit: quàm ut eas non retunderet facilè, atq; galeâ illâ ſuâ prohiberet, à penetratione in caput; clypeo thoraceq; abarceret à ſubitione in pectus & præcordia. De quibus ut alios docuit eſſe inſtructos, ad extingvenda etiã ignita Maligni illius jacula, ita ipſe haut fingendus eſt non probè ſemper inſtructus ac paratus.

Quin, ſi Satanas Sanctiſsimi Viri animum ad blaſphemi quiddam cogitandum ſollicitaſſet, non tantùm fruſtrà ille non fuiſſet, deprecatione ſuâ trinâ, quò abſiſtere cogeretur: Sed ipſe quoq; uti potuiſſet effica-

cissimo illo, *Apage*, quo Christ⁹ Salvator usus est, cùm ad Idololatriam circa se admittendam, Spiritus arrogantissimus eum impudenter invitaret. Tam n. blasphemiæ, quàm idololatriæ resistendum: Et uti Christus dixit: Scriptum est, *Dominum DEum tuum adorabis & illi soli servies*: ita Paulus dicere potuisset, quod aliis scripsi & dixi: *Glorificate DEum in Spiritu vestro & in Corpore vestro*: id mihi quoq; scripsi & dixi. Æquè opponitur, ut *Idololatriæ*, Adoratio DEi religiosa; ita *Blasphemiæ*, ejusdem religiosa Glorificatio, quæ animo pariter & cogitationibus, ut corporis quoq; puritate & castimoniâ est præstanda.

SECT. 19.

Quid censendum de Explicatione, ad Considerationem præteritorum facinorum, & tentationem quandam animi seu internam, τὸν σκόλοπα *referentem*.

C*Onsideratio* porrò *facinorum*, olim ante Conversionem, & Illuminationem designatorum, (qualia ipse, tam in Epistolâ de se cōmemorat, 1. *ad Tim.* 1. ℣ 13. cùm

cùm ſe blaſphemum fuiſse fatetur, [in Filium ſcilicet Hominis] & perſecutorem, & contumelioſum: tum in Apologiâ coram Agrippâ Rege publicâ fatetur: quod compulerit alios etiam blaſphemare, & ampliùs inſaniens in eos, perſecutus ſit usq; in exteras Civitates. *Act.* xxvi. ℣. 11.) facere ſanè illa poterat ad Elationem prohibendam. Sed eadem ipſa conſideratio, uti piè ab ipſomet, & ex inſtinctu etiam Divini Spiritus peculiari, inſtitui poterat, atq; materiam præbere illi, tum ſuæ indignitatis agnoſcendæ, tum gratiarum Deo tanto ampliorum dicendarum: ita à Maligno Spiritu non poterat vel excitari in ipſo; vel piè animo concepta, aliô detorqueri malitiâ Satanæ, quàm ut in Diffidentiæ, vel Deſperationis tentationem converteretur. Quod ipſum ſanè illi etiam agnoſcunt, qui σκόλοπα τῇ σαρκὶ hoc loco, de Cogitatione illâ perpetratorum anteà temporis facinorum, interpretantur.

At talis tentatio apud Paulum, cùm locum reperire vix potuit: ſi ea ſpectemus, quæ de ſe plenâ fiduciâ profitetur: *Rom.* viii. ℣. 38. 39. tùm nihil eo ſpectavit, ut eſset σκόλοψ τῇ σαρκὶ, pro iſto quidem, quem Apoſtolus dilucidiſsimè deſignat, fine. Potiùs ipſam Revelationum fidem ſubvertere apta

fuisset, quàm ut Gloriationem de illis intempestivam atq; temerariam cohiberet.

Ipsam quidem *Præteritorum meritorum abolitionem, Condonationemq; in Christo*, tam apud Paulum in dubium vocare etiam Angelus Satan non potuit: quàm nec expungere ex animo illius, quæ cap. modo citato ad Romanos, sub initium asseverat: *Nullam scilicet esse condemnationem* (κατάκριμα h. e. accusationis, ad condemnationem directæ, argumentum) *in iis, qui sunt in Christo Iesu &c.* Et cùm generatim de fidelibus omnibus, tùm speciatim de seipso sanctè profitetur, 1. *ad Tim.* 1. ℣. 15. 16. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus IEsus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere: quorum primus*, (seu præcipuus, si gratiam scilicet exuberantem illam spectes, ut non peccatorum tantùm veniam gravissimorum, sim adeptus, sed gratiam quoq; Apostolatus, & legationis dignissimæ ac divinissimæ sim consecutus) *ego sum: Sed ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primo* (postquam scilicet ad cœlos adscendit, & in throno Majestatis consedit,) *ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt ad vitam æternam.*

Adeò nec verisimile esse potest, circa Ele-

ctum

ctum illud Organon, hæſitationem illiusmodi quandam, de *Peccatorum præteritorum Remiſsione*, ſub tam illi manifeſtatâ Chriſti Patientià & Gratiâ, locum habere potuiſse. *Accuſationem* quidem, quâ infeſtare eum Satanas iſtâ parte connisus fuiſset, non fruſtrà etiam eum deprecari divina Chriſti Benignitas ſiviſset: de quâ tam perſvaſus ipſe fuit: ut Romanis quoq; ſanctè aſseverârit, fore, ut *DEus Pacis*, non tantùm abſiſtere ab iis jubeat, ſed etiam *conterat Satanam ſub pedes eorum brevi. Rom.* XVI. ℣. 20.

Neq; verò certitudinem de Peccatorum expiatiatione ac remiſsione, facere dubiam; aut metui cuidam illiusmodi, uti per σκόλοπα denotari aliqui arbitrantur, obnoxiam arguere illud poteſt, quod Siracides cap. V. ℣. 5. præcipit: περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου: h. e. *De propitiato peccato, noli eſse ſine metu*, ut Vulgatus Interpres habet. Nam Græca verba & de *peccati propitiatione* expreſsè loquuntur, non de *peccato jam propitiato*: & ſi de peccato præterito, atq; jam expiato etiam accipiantur, additum tamen ibidem in *Complutenſi Editione* id legitur, quod metum eum ad certum quaſi caſum reſtringit. Nempe, ſeu de *Expiatione Peccati*, ſeu de *Expiâto peccato*, ἄφοβον γίνεσθαι, ſine metu exiſtere, ſeu ſecurum fieri homi-

hominem, vetat, non quocunq; modo, sed ἐν πλεονασμῷ, h. e. in adauctionem, seu ita, ut peccatum adaugere, vel multiplicare non abhorreas. Huc mens Siracidæ spectat: ut Lectorem à securitate & torpore dehortetur illo, qui condonatione expiationeq; impetratá oboriri apud nonnullos de facili solet: quasi spes impunitatis in futurum æquè certa esse semper posit, etiamsi peccata non negligenter tantùm, sed & petulanter cumulentur. In eam Sententiam, explicationis manifestæ gratiá, subjicitur ampliùs: *Ut adjicias peccatum super peccatum*: Et versu Sexto, *Ac ne dixeris, Miseratio Domini multa est, peccatorum meorum multitudinem expiabit*. Agnoscit sensum eundem ex Pontificis etiam, qui pro dubitatione de Remissione Paccatorum aliàs solent pugnare, *Cornelius Iansenius*, uti & *Bellarmini* Hyperaspistes, *Christophorus a Sacro Bosco*: quamvis Bellarminus ipse diversum spectet. Sed hæc attigisse hoc loco satis est, ut ne prædictæ sententiæ adminiculum, quale quale istud etiam, non subduceretur.

SECT. 20.

Quid

Quid de Defectu quodam *seu* Spirituali Imperfectione, *de quâ interpretari quibusdam* τὸν σκόλοπα *visum est, existimandum sit.*

NIhilo plus verò Verisimilitudinis & illa Explicatio habet, quæ σκόλοπα, quem Paulus nominat, & carni suæ datum fatetur, de quodam *Defectu*, seu *Imperfectione Spirituali* interpretatur. Nam utut Paulus suis quibusdam defectibus & ipse laborârit, Spiritualemq; imperfectionē in haut paucis senserit, queriq; adeò de illâ haut leviter potuerit: quid esse poterat, cur eam hoc loco singulariter σκόλοπος nomine insigniret? cur Angelum Satan appellitaret? Rem, quam indicare potuisset planissimè, sic datâ operâ nimiùm involuisse videretur: & voces, quæ sensum offerre longè alium ex se aptæ sunt, nescio in quem abusum, aut significandi insolentiam, traxisset. Saltem si dictiones, quæ apud Paulum hic leguntur, nullum aliàs sensum invenirent idoneum, excusatio translationi tam duræ locus esse forsan posset. Nunc cùm verba illa, ex usitatiore modo accepta, sensum pariant satis illum scopo rebusq; congruentem, quid est, ut peregrinitatem tantam illam admittamus? Et

Verè

verò si σκόλοψ carni infixus cogitari debeat, si Angelus Satan vel obiter considerari, an *Defectus*, an *Imperfectio Spiritualis*, sic nominari vel catachresi aliquâ etiam potest? Quod si *Defectum singularem aliquem*, quem haut temerè deprecari Paul⁹ potuerit, respici arbitreris, necesse erit, ut eum ad Muneris Statusq; illi⁹ peculiaris, in quo Paul⁹ versabatur, conditionē, referas. Vbi tamen, si sapere de Paulo ex ipso Paulo volueris, defectus illius modi, qui Surculi sudisve instar torquere potuisset, cogitationem, facile excludet id, quod posteriore ad Corinth. c. III. ℣. 4. & 6. de se & Collegis suis affirmat: *Fiduciam talem habemus per Christum ad DEum, non quod sufficientes simus cogitare, vel rationari* (λογίσασθαι) *aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEo est: qui & idoneos nos fecit* (ἱκάνωσεν ἡμᾶς) *Ministros Novi Testamenti, seu Fœderis.*

Quid quod defectum, qui superfuit in Paulo, omnem, id satis pensat, quod de Gratiâ Christi testatur 1. Tim. I. ℣. 14. *quod superabundârit* (erga ipsum, seu in ipsum scilicet) *cum fide & dilectione, quæ est in Christo IESV.*

Quâ parte verò etiam imperfectionem Spiritualem suam aliquam apertè intimat, *ad Phil.* III. ℣. 12: ibidem loci nihil tale signi-

significat, quod cum verbis, hoc loco extantibus, jure compares: suum potius ad perfectionem adspirandi studium profitetur, de nihilo quod sic angat crucietve, queritur.

SECT. 21.

Quid de Singulari, nec satis explicabili Tentatione *sentiendum, an hîc à Paulo talis aliqua notetur.*

ID *Iohanni Piscatori* b.m. Viro pientissimo, inq; Sacris literis per omnem ætatem suam versatissimo, placuisse suprà ostendimus: quasi *Tentationem* hîc indigitet Paulus, *de qua, qualis fuerit, certi nihil affirmari possit.* Sed pace tanti Auctoris istius, putem, haut meritò aliquid tam inexplicabile hîc fingi; vel etiam *Tentationem* omnino aliquam hoc loco jure præsumi. Nam ipse, qui à Paulo disertissime exprimitur, Scopus, talis est, ut non tentationem aliquam requirat, sed medium duntaxat, ad cohibendam prohibendamve Elationem, ad quam ob superexcellentes patefactiones tentari & incitari à Carne suâ poterat, accommodum. Quale profectò aliquid etiam aliud esse potuit, à tentatione, ut accipi vulgo solet, vel etiam, ut ex Scriptu-

pturæ uſu accipi debet, multùm diſtans.

Prætereà, quid Paulo, ob finem iſtum, oppoſitum fuerit, & ad quem actum, quemq; in uſum, ea oppoſitio, ſeu appoſitio, directa extiterit, minimè reticetur.

Atq; ſit in nomine σκόλοπος, ob metaphoricam rationem, obſcuritas aliqua, ſeu ambiguitas: attamen ut alibi metaphoras pro Contextus ductu; pro Subjectâ, quæ tractatur, materiâ; pro fine Scopove, qui præfixus eſt, explicare ſatis accomodatè ac dilucidè, & ſufficienti etiam cum certitudine, licet: ita hîc, idem quoq; agi præſtariq; puto poterit. Id quod, pauló pòſt, in preſſiore Textus ipſius conſideratione, ſpero, manifeſtum fiet.

Saltem de facili fuerit oſtendere, non omnino neceſsarium eſse, σκόλοπος nomine intelligi tale quippiam, quale quiddam *Pientiſsimus Piſcator* hoc loco ſibi prorſùm imaginatus fuit. Quin re ipſâ probè inſpectâ, manifeſtum id quoq; fiet, ad ſcopum præſtitutum, tale quiddam, quod corpori impactum, continuos dolores creet, donec extrahatur, nec requiri. Sola etiam interminatio mali cujusdam, cohibere ab exorbitatione poteſt: eſtq; *Colaphi impingendi metus, ſatis efficax, ut digito compeſcatur labellum in re, de quâ*

de quâ temerè nihil effutiendum, vel arroganter aut jactabundè non est gloriandum. Quod suo posteà loco luculentiùs explicabitur.

Sed & ipse *Piscator* tentationis vocabulum hîc minùs tandem probasse videtur: cùm *in Scholiis ad Biblia Germanica additis*, quæ post Latina seriùs deinde edita sunt, vocem longè aliam adhibuit quàm quæ Tentationi, ex tritissimo Scripturæ usu acceptæ, responde-at. Nominat nimirum ibi, Ein Beschwehrnüß, h. e. molestiam seu afflictionem, quod antè non dubitaverat appellitare in Latinis, *Tentationem.*

SECT. 22.

Quid de Afflictione Corporis, unde Mortalitas arguatur, *vel de* Sensu mortis, *quem suspicatus est* Matthesius, *statuendum sit.*

NEq; verò Pauli verbis, quibus alexipharmacum aliquod adversus Elationē describit hoc loco, id etiā est congruentius, quod alii, de *Afflictione corporis, unde mortalis argueretur*; vel de *Sensu Mortis*, suspicati sunt. Non n. σκόλοψ, qui hîc nominatur, vel Carnis, vel Carni impa-

ctus, omnino nominatur, uti jam ab initio monitum fuit: sed tantum σκόλοψ τῇ σαρκὶ dicitur. Neq; aliquid, quod Carni simpliciter tale esse intelligatur, sed Angelus Satan præcipuè nominatur, qui sit instar σκόλοπος τῇ σαρκὶ. De quâ verborum cohærentiâ & nexû, ut jam suprà aliquid monitum fuit: ita paulò post erit, ut explicationem genuinam, evidentiùs, cùm afferamus, tùm ostendamus. Id nunc satis est, verbis sic vel obiter spectatis, sensum eum de quo agimus, abesse longiùs ab illis deprehendi. Quæ enim tanta est necessitas, ut *Mortalis* arguatur ille, velut *Sensum mortis* omninò percipiat, cui angelus Satan existat aliquis, ceu σκόλοψ τῇ σαρκὶ? Tortura & afflictio sic quædam intelligitur, non ipsa mox *Mortalitas*. A torturâ autem atq; afflictione nec ipsos illos Spirit⁹, qui immortales suapte conditione existunt, immunes novimus, si Petrum audimus, in posteriore Epistolâ, cap. II. ℣. 4. de iis testantem: quòd *DEus Angelis, qui peccârant, non pepercerit, sed catenis caliginis* (ταρταρώσας) *in tartarum præcipitatos, tradiderit servandos in judicium.*

Sed & quidvis tandem fingamus, unde *Mortalitatis* suæ admoneri Paulus potuerit, unde *Mortis Sensu* quotidie affectus sit, (à quo eum etiam eximere nescio an ullâ imagina-

gínatione poſsit is, qui quid de θανάτοις de mortibus, in quibus ſæpe fuerit, 2. *Cor*. XI. ℣. 23: quid περὶ ἀποκρίματος τοῦ θανάτου h. e. de medico quodã præſentiſsimæ mortis judicio, ſeu prognoſtico circa ſe critico, 2. *ad Cor*. 1. ℣. 9. commemoret, expendit:) quid iſta tandem Mortalitatis ſenſio, certiſsima etiam, facit eò, ut gloriari, ut efferre ſe homo abhorreat ob revelationes divinas, ſi quæ contigêre? Hæc mortalium eſt indoles, ut quo ſeſe morti magis obnoxios eſse animadvertunt, eô magis affectent, quacunq; tandem gloriatione immortalitatem aliquam, ſaltem nomini ſuo, conciliare. Qui, quæ *Cicero*, pro *Archiâ*, in hunc ſenſum diſserit, non ignorat, vix puto requiret hîc quicquam, quod adverſum iſtam ſententiam dicatur ampliùs.

SECT. 23.

Quid de Subitâ Conſternatione, *qualem Chriſto etiam aliquam accidiſſe audimus, ex quorundam Opinatione, hîc cenſendum ſit.*

ILlorum opinio, qui ſuſpicari hîc audent, intelligendum quippiam affine *Conſterna-*

tioni, seu ταράξει τῆς ψυχῆς, de quali apud Johannem legimus, *cap.* XII. ℣. 27. quòd Christus fateatur, eam sibi accidisse, probabilitatem fortè aliquam habere posset, si apud Paulum hoc loco quippiam velut obreptitium, seu momentaneū aliquid, significaretur.

Sed nimis est id in propatulo, Paulinis verbis denotari quippiam satis longi tractus, & cum perpetuo quodam terrore ac metu, post factas sibi illas supereminentes Revelationes, conjunctum.

De Christi a. ταράξει illâ, quâ animam suam consternatam fatetur, liquet, eam ad certum aliquod & præsens momentum referri: cùm disertè inquiat, Νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται: *Nunc*, seu modò, *anima mea turbata est*. Atq; quæ sequuntur, seu addita porrò verba sunt, ipsa etiam plus satis produnt, quid animæ Christi in Humanitate, Consternationem, seu exterrefactionem illam pepererit. Nempe cùm de futurâ apud Patrem gloria disseruisset, subiit animum quoq; confestim cogitatio diri atq; immanis supplicii illius & παθημάτων gravissimorum, quæ subiturus paulo post tempore esset, antequam in gloriam suam introiret. Hæc cogitatio, ut nobis secundum Humanam Naturam ipse exstitit per omnia, peccati labe demtâ, similis, pro

Hu-

Humanitatis indole, eum exterrefecit adeò, ut Patrem quoq; deprecaretur, quô ex illâ horâ ipsum servaret. Sed utut consternatus, utut deprecans, confestim se quoq; animo composuit, ad omne id fortiter patienterq; subeundum ac sufferendum: dum continuò adjecit: *Sed propter hoc veni in istam horam.*

Non est ob rem, quam propriè hîc tractamus necessarium, cur quicquam de verbis istis, & Consternatione Christi hîc addamus. Attamen, cùm Lectori forsan mirum videri possit, quî Christo tale quippiam acciderit, attexere in eius gratiam libet, quæ *Theophylactus* ad eum locum piè commentatus est. *Quid est*, inquit, *quòd dicit:* Nunc anima mea conturbata est? *Videtur sibi ipsi contraria loqui. Nam qui superiùs videtur admonere: ut exerceamur, & parati simus ad mortem, & odio habeamus animam; hic nunc turbatur moriturus: quod non est exhortantis ad mortem, sed avertentis. At si rectè consideraveris, invenies, quod turbari ipsũ, adhortatio sit ad Contemtum mortis. Vt enim ne quis possit dicere, quòd ipse extra pericula alios admoneat: ostendit quòd & ipse humanis proprietatibus tentatus sit, & nostra natura fuerit particeps, quamvis absq; peccato. Idcirco quamvis mæreat & tur-*

betur, ut homo, qui naturâ vitæ amans est: non tamen mortem devitat, utpote quæ esset pro mundi salute. Propterea enim, inquit, veni in hanc horam, ut mortem pro omnibus subeam. Docet autem per hæc nos, ut nos etiamsi turbemur, & mæreamus, non fugiamus pro veritate mortem.

Hæc sic in transcursu ex *Theophylacto* adducta, non sine fructu tamen â Lectore pio considerabuntur, Christi exemplo ad perpessiones gravissimas sese animaturo, & ob consternationem, si quæ fortè in tales casus accidat, efficacissimè consolaturo: sed nunc hoc loco Paulini illius σκόλοπος explicationem penitiùs mecum quoq; exquisituro.

SECT. 24.

Quàm præ aliis Explicationibus probabilis sit illa, quæ ad Afflictiones, Adversitates, Hostilitatesq;, τὸν σκόλοπα *refert: licet nec ipsa Pauli verbis Scopove plenè congruat.*

QVod igitur *Afflictiones, Adversitates,* seu *Hostilitates* tandem attinet, illæ sanè vel unæ videntur esse, quæ σκόλοψ τῇ σαρκὶ existere, atq; ad *Elationē* prohibendam facere, intelligi

quàm commodissimè possint. Vti enim res prosperæ ad *Insolentiam* permultum faciunt, Caroq;, seu corpus nostrum, si ab adversitatibus existat liberum, in luxuriam proclive est: ita de rebus adversis durisq; contrarium fieri liquet: ut per eas Caro coerceatur, & ad modestiam fiát compositior. Poëtæ jam olim de rebus felicibus id satis agnovére. Queritur *Maro* x. Æneidos:

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ,
Et servare modum rebus sublata secundis.

Et *Silius*,

Heu cœca mentes, tumefactaq; corda secundis.

Seneca *item in Troade:*

O Tumide, rerum dum secundarum status
Extollit animos.

Et cui *Nasonis* illud ignotum?

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis:
Nec facile est, aquá commoda mente pati.

De Adversis rebus diversum contrá profitentur universi. *Lucretius* sanè, quamvis atheismi subtilioris illius non Candidatus, sed Professor & Magister quidam, haut tamen reticuit, quid res adversæ proficiant apud homines:

- - *Multoq; in rebus,* inquit, *acerbis,*
Acrius advertunt animos ad relligionem.
Quo magis in dubiis hominem spectare periclis

Convenit, adversisq; in rebus noscere, qui sint.
Nam vera voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur & eripitur persona, manet res.

Ad submissionem, seu humilitatem, ut vocant, cumprimis res asperæ, & infeliciùs secundum carnem habentes, faciunt: quod apud *Plutarchum* in *Tractat. Quomodo audiendi Poëta*, Græcus ille apertè testatur, qui inquit:

μικρὸν φρονεῖν χρὴ τὸν κακῶς πεπραχότα:

H. e. *Submisse gerere se oportet eũ, qui rebus utitur adversis.*

Atq; *Adversitates*, quæ homini sic extra animum accidunt, sanè rationem elegantem habent, ut conferri queant, cum *Surculo*, *Palove.* Quemadmodum n. per *Surculum*, *Palumve*, si infixus cogitetur, caro cruciatur, & impeditur, ne lasciviat, ne subsilire atq; efferre se gaudeat: ita *Adversa* eodem faciunt in homine, carne prædito: & castigando illi perquam sunt accomoda, quô sese efferre minùs affectet. Mirumq; est, qui hæc sententia, præ alterâ illâ de *Titillatione Venereâ*, adeò negligi deprimive superioribus seculis potuerit, quamvis Antiquissimis Scriptoribus, ut superiùs ostensum est, ferè comprobata: ut *Iacobi Fabri Stapulensis* tempore, pro novâ haberetur. Quod ipse in Commentariis

tariis innuit, cùm pro eadem eleganter disserit & ne solus videatur hāc sibi opinionē finxisse, *Athanasium* in eundē modum Pauli verba explicantē introducit. Cuj⁹ verba quia superiùs afferre prætermisimus, non abs re hoc loco attexemus: ut, quid Patrum Antiquorū Sanctissimus gravissimusq; de re isthac senserit, ex ipso ejusdem ore etiā quasi cognoscatur. Is igitur in *Quæstionibus*, quibus loca quædam Paulinarum Epistolarum etiam evolvuntur, *quæstione CIX*, Quid sit illud, ἐδόθη μοι σκόλοψ (Sic habet Cōmelianæ Editionis textus Ἰδοὺ σαρκὶ ἄγγελος Σατὰν &c. respondet: *Satan, Adversarius dicitur. Angelum igitur, seu nuncium Satàn dicit Alexandrum ærarium fabrum, Hymenaeum & Philetum: qui divexabant ipsum & resistebant, dicentes Resurrectionem jam fuisse: qui etiam apprehensum eum in carceres projiciebant, & multis afficiebant malis.* Sic loco dicto Athanasius.

Quantam sic cunq; speciem tamen habeat isthæc quoq; Interpretatio, quantáq; etiam ex Antiquioribus Ecclesiæ doctoribus auctoritate munita esse videatur: Vix puto tamen per omnia attento satisq; considerato Lectori satisfaciet: si præsertim ad scopum propositum contentiore oculo respexerit: qui est, *ut Elationi seu Gloriationi ob Revelationes singularissimas sublimissimasq; repagulum*

ponatur: At, pone adverſitatibus urgeri & exerceri hominem iſtiusmodi, quibuscunq; tandem, an non ſub illis quaſi in ſolatium aliquod ſuum gloriari de Revelationibus ſuis magis audebit, quàm ut per eas, ſic abſolutè ſpectatas, à Revelationibus iis commemorandis & expromendis cohibeatur? Quid ipſum Paulum perduxit eò, ut ſic aliquid earundem in Scripto iſto ſuo ad Corinthios attigerit, niſi Adverſitates, quibus ab aliis deprimebatur?

Quas ipſas Adverſitates quoq; ſi generatim ac promiſcuè ſic ſpectamus, haut ſatis patet, quâ omnino ratione, & quàm plenà planâve verborũ congruentiâ, tanquam ſingulare quoddam de ſe Paulus hîc prædicet: dum, ut ne efferretur, ob excellentiam revelationum, datum ſibi fatetur, σκόλοπα τῆ σαρκὶ, ἄγγελον σαλᾶν, qui colaphis ipſum accipiat, ne efferatur: qui uti abs ſe abſiſteret, ter deprecatus ſit DEUM &c.

Omnino verbis ſuis iſtis indicat Apoſtolus, ſingulare quiddam ſibi, poſt excellentes illas Revelationes, quæ præ aliis ipſi privatim contigerant, ex adverſo ita accidiſse: ut ab Elatione propter illas, tam peculiari aliquo modo cohiberetur, quàm ſingulari quoq; modo ad revelationes illas ſublimiſsimas

fuerit

fuerit præ aliis admiſsus, ſeu elevatus. Breviter, quàm illa ἀποκάλυψις, quæ Apoſtolo huic ſeorſùm contigit, rara & inſolens, ſeu potiùs prorſùm ſingularis agnoſcenda eſt: tam illud remedium, ſeu alexipharmacum quoq;, rarum ac inſolens, ſeu potiùs ſingulare prorſùm apud ipſum adhibitum fuiſse, haut obſcuris verbis doceri conſtat, ſi Contextus hicce totus plenè cohærenterq; expendatur.

SECT. 25.

Verba Paulini Contextus omnia, qui preſſiùs conſiderari debeant, ex narratione de Revelationibus *præmiſſâ: Quantumq;*, Revelationum illarum licentioſior Evulgatio, *periculi involvere potuiſſet.*

VErborum igitur illorum vis omnium, ut tantò faciliùs luculentiùsq; perſpiciatur, reſpiciendum eſt primò omnium ad id, quod præmiſsum Apoſtolus narravit, de ſublimiſſimâ illâ Patefactione, quæ per Surreptionem in Cœlum usq; tertium illi contigerat. Ea res huiusmodi erat: ut non

ut non Mosi tantùm ac Prophetis; sed cæteris quoq; Apostolis omnibus major reputari ipse propterea, & sic præ illo cæteri, quodammodo aspernabiles apud vulgus evadere, potuissent, nisi cautelæ aliquid interponeretur.

Mosi quidem in montem Sinai ascendere licuit, & cum Domino, in istâ quantulacunq; Sublimitate, colloqui, facie ad faciem, contigit. At in ipsa cœlestia Sacraria, montibus omnibus, astrisq; etiam ipsis sublimiora, ad *Cœlum*, usq; *tertium*, cum penetrasse, aut ibidem audivisse, quæ sint ἄῤῥητα, quæq; nec liceat homini eloqui, id nusquam commemoratur, aut indicio saltem aliquo, vel obscuro, significatur.

Quid *Paulo* contrà in istum modum, benignitate Dei, & gratiâ longè mirabilissima, obtigerit, narratio illa, quamvis obliqua & quasi in tertium quendam translata, satis luculenter exprimit. Cum *Samuele*, quem Deus alloquio singulari dignatus fuerat; cum *Elia*; cum *Prophetis* plerisq; omnibus; cum ipso etiam *Ezechiele*, qui Angelorum quasi consors censeri poterat, si contendere Paulum allibeat, *Revelationum* intuitu, nimis eos omnes multis ipse parasangaris antecelluit.

Allo-

Alloquio eum, in Vocatione primâ ad Christianismum, & ad Apostolatum, dignatus fuit, Unigenitus ille DEI Filius, χαρακτὴρ καὶ ἀπαύγασμα τῆς ὑποστάσεως θεοῦ. Luce eum circumluxit humanitùs intolerabili: quod oculorum suorum documento quoq; prodidit. Instituebatur sic sanè ab Ananiâ de nonnullis initiò: at ut planè posset asseverare, se, quod tradidisset, accepisse à DOMINO, in ipsum præterea *Cœlum* usq; sublatus fuit: ad *Visionem Auscultationemq;* admissus eã fuit, quæ mortalium nulli usquam memoratur contigisse.

Hæc igitur tanta Pauli dignatio, ut ad Sublimissimã Majestatis Divinæ sedem fuerit intromissus; ut de Throno Cœlesti fuerit ad Sapientiam Spiritualem eruditus; ut verba audierit, quæ eloqui homini fàs non esset: hæc facere, si sequi sensum carnis, (in quâ vivere deinceps necesse habuit *Gal.* II. ℣. 20.) inhibitum non fuisset: hæc, inquam, facere permultum poterat, ad sese super alios quosq;, vel ipsos etiam Apostolos cæteros, si in vulgus visa, audita, liberè exprомeret, efferendum.

Scientia inflat, ipso Paulo teste, & monitore, I. *ad Cor.* IIX. ℣. I. At Scientia quanta sic non eidem, præ omnibus etiam Apostolis, contigerat!

Petrus,

Petrus, Iohannes, Iacobus, in Monte vi-
derant, clarificato Christum corpore, Mo-
semq; ac Eliam cum ipso colloquentes au-
dierant. Quanto id autem majus, quod
Paulo contigit, per Raptum illum divinum,
in cœlum usq; sublimissimum evecto, in Pa-
radisum, h. e. Sedem beatitatis supernæ &
æternæ, translato! Vbi non Mosem, non
Eliam tantùm, sed Prophetas omnes ac be-
atos; nec Christum in trasitoriâ duntaxat ac
momentaneâ clarificatione, sed in perpetuâ
perfectissimâq;, ac verè illâ μεγαλοπρεπεῖ δόξῃ
spectavit, cũ infinitis illis Angelorum myria-
dibus, cum Spiritibus Sanctorum perfe-
ctorum!

Si Carnis indolem sequi hinc Paulo li-
cuisset, quid pro illâ, ex tantâ Revelatio-
num præcellentiâ, non habuisset ipse argu-
menti, ut efferret sese, adversum etiam τοὺς
ὑπερλίαν Ἀποστόλους, quos ita vocat in ipsâ hac
Epistolâ, cap. antecedente XI, ℣. 5?

Quid inde autem periculi emergere
non facilè potuisset, cùm, ut nimis illi tri-
bueretur à vulgo; tum, ut alii præ ipso simul
cùm doctrinâ etiam suâ temnerentur! Con-
jectura eventus sequioris illiusmodi, ex eo
plana est, quòd haut pauci, ob dotes utiq;
præcellentiores nonnullas alias animadver-
sas,

ſas, de ejus ſeſe nomine appellitare cæperint.

Atq; ex quali quali iſto Revelationum tantarum illarum, quod Apoſtolus extare de ſe hoc loco voluit, indicio, non abfuit etiam, quin exiſteret jam olim haut leve apud nonnullos delirium. *Origenes* in eam rem teſtis eſse nobis poteſt: qui affirmat, extitiſse nonnullos de Paulo ſic perſvaſos apud ſe, ut pro *Veritatis Spiritu* ipſum haberent, illo nimirum, quem Chriſtus à Patre Diſcipulis ſuis promiſerat mittendum: Joh. xv. ℣. 26.

SECT. 26.

Quæ ex præmiſſâ Narratione de Sublimib⁹ illis Revelationib⁹ *conſequenter Ratio pateat, in Palo, Angeloq; Satan, de quo ſequitur, generatim agnoſcenda: perq; quas partes res illa ediſſeratur.*

ITaq; , cùm humanæ Carnis modus vix ferat, ut, dum in eâ attinetur homo, non idem ſeſe efferat facilè, ſi præſertim ad *Sublimitatem majorem digniorem q;* aliquam ſe admiſsum præ reliquis animadvertat; ſi præditum ſe ſingulari præ aliis, ſupraq; alios *Scientiâ* nôrit: Conjectura non difficilis eſt,

quid

quid de Apostolo, post tantas istas Revelationes fieri, divino consilio convenientissimum fuerit. Nempe, requiri quodammodo videbatur, ut contrà Elationis illud periculum, Remedium eidem singulare aliquod, ceu Alexipharmacum quoddam Spirituale, adhiberetur. Atq; id, cuiusmodi ac quale fuerit, ut planè intelligatur; utq; sic explicatè constet, quàm fuerit divinitus adversum illud ex carne periculum prospectum: rem omnem istam Apostolus, post præmissam obliquam de Raptu suo, Revelationibusq; sublimissimis, narrationem, directâ Narratione, huncce in modum porrò edisserit.

Primò. *Rationem propriam divini circa se Consilii in Alexipharmaco Elationis sibi adhibito, exponit.*

Deinde, *Commemorationem subtexit Eventus cuiusdam notabilis, post idem circa se Consilium, & adhibitum sibi Remedium, ex suâ parte sequuti.*

De utroq; membro isto videbimus pressè ac distinctim: Si istâ ratione, Spiritu divino nos adjutante, rem tantam meliùs illustrare, intemerateq; explicare valeamus.

SECT.

SECT. 27.

In Enarratione Alexipharmaci illius, Paulo post Revelationes adhibiti, quæ veniant discretim ulteriùs expendenda.

DIvini igitur illius, in adhibendo sibi post Sublimissimas Revelationes, Elationis Alexipharmaco, Consilii rationem propriam enarrat Apostolus, per septenos quasi gradus hosce.

1. *Occasionem & Finem* designat, *ob quem Remedium illud fuerit adhibitum.*
2. Innuit, *Quo Auctore & Directore idem fuerit adhibitum.*
3. Exprimit, *Cui id fuerit adhibitum.*
4. Significat, *Cuiusnam modi atque efficaciæ illud extiterit, cuique definitim parti adhibitum, seu velut applicatum fuerit.*
5. Denominat in Specie, *Ex quo rerum genere depromptum, seu quodnam illud fuerit.*
6. Addit, *Quæ propria ejus operatio extiterit, aut esse debuerit.*
7. Hoc etiam tandem subinnuit, *Quâ cum restrictione, seu quali cum modo, fine, usu ac temperamento, Remedium hoc tam acre fuerit adhibitum.*

Per puncta hæc talia, Narratio proposita convenientissimè posse distribui visa est: ut ad *Remediũ, seu Alexipharmacum Elationis*, tanquam ad Caput Periochæ huius, perpetuus nobis esset intuitus. Quem titulum vel ideo hîc adhibere placuit, quod & populari captui sit perquam accommodatus; & à *Veteribus* pariter ac *Recentioribus Scriptoribus* haut paucis, circa Textum hunc reperiatur usurpatus: deniq; ad appellationem Angeli Satan, ut Serpentis, singulariter congruat: cùm *alexipharmaca ex* venenato itẽ animantium genere confieri, vulgo quoq; notum sit.

Quod si tamen placeat, *Remedii*, seu *Alexipharmaci* apellationem commutare hîc cum nomine *Coercitoris* seu *Castigatoris*, qui Paulo additus significetur, ut ab Elatione eũ ceu Custos, & Terriculamentum aliquod, prohiberet, puncta pleraq; illa, quæ enumeravimus, eodem referre, & modo congruente ad istum etiam titulum applicare, non adeò erit difficile. Sed de eo, suo postmodùm loco erit forsan, ut aliquid ulteriùs monendi explicandiq; sit occasio. Nunc partes illas uti instituimus, persequemur.

SECT. 28.

Occa-

Occaſio, Finisq; *Prophylactici ſeu Alexipharmaci ſingularis, Paulo adverſus Elationem adhibendi, quæ fuiſſe deſignentur.*

QVod igitur in Remedio ſeu Prophylactico ſingulari illo, circa Paulum adhibendo, *Occaſionem*, *Finemq;* attinet, deſignantur ea, dum inquit Apoſtolus: καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. *Et ne Supereminentiâ Revelationum efferar.*

Occaſio quidem denotatur, dum mentio fit τῆς ὑπερβολῆς τῶν ἀποκαλύψεων; *Finis* autem ex occaſione eâ velut enatus, indicatur verbis, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.

Ἀποκαλύψεως, *Revelationis* nomen, ſi de nativâ vi ſuâ æſtimetur, refert ſeſe ad quippiã, quod vel certò jam exiſtat; vel certitudinem omnino ſuam habeat, interim tectum ſit, aut obvelatum, ut haut pateat aliis. Quod ipſum quo videre cognoſcive dignius, jucundius, optatiusq; eſse animadvertitur, eo major dignatio ac felicitas quædám ſubeſse in eo intelligitur, ſi id cui detegatur, ſi reveletur: hoc eſt, ſi quaſi velario ſubmoto, fiat alicui poteſtas ſpectandi atq; cognoſcendi.

Hanc vim cùm ea vox habeat, ex ſuâ velut nativitate, tum verò in Scriptura Sacrâ,

usum habet illum peculiarem ac longè excellentissimum, ut rebus divinis, ac supernaturalibus; ut consiliis ac decretis cœlestibus, seorsum accomodetur, deq; illá dignatione usurpetur, quá fieri intelligitur, ut spectanda, cernenda, cognoscenda illa homini offerantur.

Quo respectu haud abs re videtur *Hieronymus* affirmasse, in Comm. Epl ad Gal. c. 7. Verbum ἀποκαλύψεως propriè Scripturarũ esse, nec ab ullo Sapientum seculi usurpatum. Vbi item videri sibi ait, quemadmodum in aliis verbis, quæ de Ebræo in Græcum LXX. Interpretes transtulerunt, ita & in hoc magnopere esse conatos: ut proprietatem peregrini sermonis exprimerent, nova novis rebus verba fingentes: Et sonare, cùm quid tectum & velatum, ablato desuper operimento, ostenditur & profertur in lucem. Quod ut manifestiùs fiat, accipere exemplum jubet, &, *Moses*, inquit, *cum DEo revelatâ & apertâ facie loquebatur: id est, absq; velamine: ad populum autem loquens, quia vultum ejus attendere non valebant, velamen ponebat in facie. Ante Arcam quoq; Testamenti, velum expansum erat: quod cum fuisset reductum, ea quæ antè abscondita fuerant, prodebantur, & ut ipso verbo utar, revelabantur.*

Non

Non libet hîc quicquid ſic ab Hieronymo etiam affirmatur, minutiùs excutere, ut quædam fortè in Lectoris erudiendi gratiam exquiri preſsiùs poſsent. Illud ſatis eſt, præclarè ſic intelligi, quàm iſto nomine denotetur quippiam, *Dignationem* haut exiguam involvens, imò tanto illam quoq; majorem, quanto res ſublimior diviniorq; eſse cogitatur, quæ retegitur.

Vnde non eſse in obſcuro poteſt, quî hac parte occurrat aliquid, quod præbere *Occaſionem Elationi* ſoleat. Quòd tanto hîc magis agnoſcendum proponitur, dum non ἀποκαλύψεως cuiusdam tantùm, ſingulatim, meminit Apoſtolus, ſed τῶν ἀποκαλύψεων, numero plurativo. Solet is numerus in vocibus haut raro vim eam per Ebraiſmum habere; ut rem notet non ſimpliciter, ſed cum excellentiâ quadam intelligendam. At hîc loci ſatius eſt congruentiusq; ad multa eam referri, quæ revelata ſignificentur Apoſtolo fuiſſe. Quæ cùm ſummæ per ſe dignationis extitiſse intelligantur, tū id verò ampliùs accedit, ut non Revelationes ſimpicliter nominare voluerit, ſed τὴν ὑπερβολὴν quoq; dicere τῶν ἀποκαλύψεων. Quâ exaggerandi voce, cùm pluralitas, tum ſumma quædam excellentia, ſeu ſuper alios exuberantia, vel ſupercumu-

latio, ut sic dicam, earundem Revelationum apertè designatur: ut plusquam sic evidens fiat, ex istâ vocum consideratione, quid hîc Occasionem dederit affectui cuidam, apud Paulum, vel apud alios etiam metuendo, quem providentiâ singulari aliquâ præcavere ac prohiberi consultum fuerit.

Affectus ille, ob Revelationum tantarum illarum ὑπερβολὴν metuendus, *Elatio* fuit, seu *Sui super alios, ut sic dicã, extollentia.* Cui annecti solet ceu comes ĩdividuus, *Aliorũ præ se despicientia, Contemtusq; ac Vilipendium*: idq; seu animo privatim conceptum ac fotum; seu sermonibus, moribusq; ac gestibus proditum, & in aliorum etiam animis excitatum.

Notum aliàs quid ex imaginatione etiam aliquâ sublimioris & Angelicæ cuiusdam dignitatis, accidisse nonnullis significet Paulus, *ad Colos.* II. ℣ 18. cùm eorum meminit, qui aliis brabeum velut præaufferre affectent, in submissione, & cultu quodam Angelico, seu Angelorum, quasi in ea, quæ non viderunt, ingressi, seu incedentes, frustraq; adeo sensu carnis suæ inflati. Quid Paulo sic igitur proclive non fuisse cogitandum est, dum reverà vidit ipse & audivit, quæ alii tantùm imaginabantur sibi: dum ad ipsam Angelorum conversationem contuitumq; admis-

admiſsus fuit? Qualis non inde *Affectus* in ipſo exiſtere humanitus poterat: ut ſeſe extolleret: ut tale aliquid per jactationem ſuæ dignationis illius deſignaret, unde deſpectuoſi evaderent præ ipſo alii, ſicq; in ſacro munere ſuo haut leviter ſufflaminarentur?

Ne hic talis igitur *Affectus*, tot noxioſa ſecum Symptomata trahens, in Paulo poſt eminentiam illam Patefactionum divinarum, exiſteret, pro carnis, humanæq; indolis modo, verendum fuit.

Sic *Finis* ergo ille, præſtitutus *ex Occaſione* eâ fuit, *Scopusq;* quaſi præfigi cœpit: ut malo illi præcavendo, per Remedium aliquod accomodum iretur obviam, ejus proclivitate ſimul ac gravitate, tum *ex Revelationum excellentiâ*, tum ex *Carnis humanæ incontinentiâ*, ſatis omnino perſpectâ.

Atq; agit hoc Pater in Cœlis Providentiſsimus, ne Beneficiis, ne Dignationibus ſuis, nobis incommodet. Sic Gratias ſuas, cùm excellentiore modo eas confert, contemperare, additamento quodam acerbiore, noſtro bono, gaudet: ut Carni noſtræ, contra *Luxuriam* ac *Superbiam* adhibeatur quoq; prophylacticum. Quod adeò, Paulus hic ſibi obtigiſse innuit: cùm narratione Revelationis ſublimiſsimæ, præmiſsá ſubjungit, καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.

Atq; ſic quidem potiora M S Græca omnia habent. *Vulgatus* tamen *Interpres*, ni privatim illam ſibi licentiam ſumſiſse putetur, in exemplar incidiſse videtur, ubi lectum ſit: καὶ ἵνα μὴ ἡ ὑπερβολὴ τῶν ἀποκαλύψεων ὑπεραίρῃ. Vnde reddidit: *Et ne magnitudo Revelationum extollat me.*

Sed eam lectionem haut facilè aſseverârim, pro genuinâ agnoſci poſse: licet emolliri ſenſum ejus, quem habet in ſpeciem duriuſculum interpretatione facili poſse haut negem. Nimis ſcilicet durum aliàs foret, tam directè ac quaſi per ſe tribui, ſingulariſsimo ac ſublimiſsimo Dei Beneficio, id, quod ex pravitate ac corruptione humanâ propriè duntaxat proficiſcitur. Quod in paſsivo verbo, niſi inconſideratiùs fortè accipiatur, non æquè locum habere animadvertitur: cùm multò uſitatiſsimum ſit, quæ per accidens, ut loquuntur, atq; eventu quodam, ad effectum minùs probum faciunt, iſtâ ratione enunciari.

Sed & res omnis planior evadet, ſi verbum, quo *Finis*, ſeu *Eventus* potiùs, hîc præcavendus denotatur, paulò conſideratiùs ipſum evolvatur: nempe, τὸ ὑπεραίρομαι.

SECT. 29.

Verbum ὑπεραίρομαι, quomodo ſit hoc loco exponendum, ut ſenſus rectè congruenterq́, in re iſtâ teneatur.

ID verbum igitur, reddunt pleriq;, hoc loco, per, *Efferrer*: cùm in Græco ſic habere etiã videatur ſignificationem paſſivam. Quam ſignificandi vim, ſi adeò ſimpliciter ex Grammaticâ ratione æſtimare liberet, poſset vel iſto modo quoq; videri, ipſa Excellentia Revelationum, quaſi directa cauſa aliqua fieri Elationis: ſiquidem habere ſe Paulus paſsivè duntaxat, vi locutionis illius, putetur. Nam ſi locutionem iſtam, uti fieri per leges Grammaticas poteſt & ſolet, de paſsivâ in activam transformes, eq; caſu ſextu primum effingas: ipſa Revelationum magnitudo dicetur Paulum efferre, ſeu in Elationem agere. Sic igitur, quod activâ ratione hic agnoſcendum veniret, in Revelationis divinæ magnitudinem deferri, conſideratione minùs cautâ, facilè poſset,

At enim, ut denuò illud moneamus, dona Dei, eorumq, excellentia ac abundantia, haut ſunt per ſe incuſanda malæ frugis, quam ſuapte vi, aut principali operatione, ex ſe, talem nullam unquam producunt. Omnis ea mali labes, quæ donorum illiusmodi oc-

casione existit, in homine quærenda est, & in illo, qui homini instinctor esse solet malorum, Diabolo nimirum.

Ne ergo verbum, quod hoc loco occurrit, in sensum facere videatur, quem minus per omnia probare queamus, notari id debet: τὸ ὑπεραίρωμαι, quamvis vim passivam videatur, in Græco usu, ex suâ formâ, habere, esse tamen per Ebraismum ita accipiendum, ut sub eâdem illâ formâ, citra vulgo usitatam illam Grammaticam transformationem, in activam significationem aliquam recidat. Qualis significatio in verbis aliarum Lingvarum, ex Ebræo præsertim Idiomate æstimandis, non raro agnoscenda venit: ut scilicet, quæ Græcis Latinisve, formâ passivâ enuntiantur, accipiantur in eum sensum, qui Ebræis exprimi solet, per Conjugationem reciprocam, quam vocant, *Hitpagnel*, seu in quâ Persona agens, actionem aliquam in seipsam reflectere, intelligitur. Quam vim optimè sic expressit *Interpres* noster *Germanicus*, cùm activè reddidit, reciprocâ ratione: und das ich mich nicht erhebe: Et *Castellio*, *Ne me efferam*: cùm minus interim accesserint eodem Interpretes pleriq; alii, qui vel reddidére: *Ne supra modum efferrer*, ut *Erasmus* habet, & illum hîc sequutus *Beza*; vel *Ne extollerer*, ut Sy-

ut Syriacum verbum reddidit *Tremellius*.

Sic tamen & ipſe *Germanicus Interpres* noſter, verbi eius modum accomodatiùs, expreſsiſset etiamnum: ſi potiùs ſcripſiſset, daß ich mich nicht vberhübe, oder vberheben möchte: quàm quod poſuit, daß ich mich nicht vberhebe. Verbi enim modus, si in Græco rectè attendatur, hoc omnino requirit.

Probè id à *Belgis in Novâ illâ, eâq; elaboratiſsimâ Editione*, obſervatum fuit: ut modũ illum ſic propiùs exprimerent: cùm reddidére, Op dat ick my door de uitnemenheit der openbaringhen niet en ſoude verheffen, Quod tantumdem videtur, ac ſe dicatur, *Ne per excellentiam revelationum, me efferre poſsem, vel auderem*.

Τὸ ὑπεραίρεσθαι igitur, tantundem hoc loco eſſe, ac, *Seſe ipſum extollere, Seſe ipſum præferre aliis, Supra ve alios efferre*, convenientiſsimum eſt, ut agnoſcatur: ut hoc planè animadvertatur, veniſse hic in Paulo divinitus præcavendum, quod humanitùs ex ipſo atq; in ipſo, poſt Revelationum illarum divinarum excellentiam, exiſtere poterat: nempe ut Seſe aliis anteferret, Super alios ſeſe eveheret: Aliosq; præ ſe deſpiceret, contemneret, deprimeret. Hoc ne facere, vel poſset, vel facilè auderet, φόβητρον quoddam, ſeu velut terri-

terriculum aliquod adhiberi, matureq; illi opponi neceſse fuit.

Et verò ſi in in Paulo, ratione Apoſtolorum reliquorum contingere id debuiſset, ut per aliquam ſuarum Revelationum jactantiam, eos redderet præ ſe deſpicabiles, obſcurum non eſt, quantum inde exædificandæ Eccleſiæ obſtaculum fuiſset emerſurum. Præterquam, quòd, ſi liberiùs de Revelationibus ſuis expromſiſset τὰ ἄῤῥητα, hoc eſt, non ſimpliciter ineloquibilia, ſed quæ hactenus eloquio nullo prodita ſunt, vel eloquio etiam humano prodi vix poſsint; ſi ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, quæ permiſsum non erat, ſeu non conveniebat homini (ulli) eloqui, ſeu per eloquium communicare, ſi inquam, talia licentioſiùs effutiviſset forte: fieri nimis facilè potuiſset; ut Auditores de ipſo *cogitarent ſupra id, quod viderent eum eſse, aut quod audiſſent antè ex ipſo*: Et ſic tandem Deum quendam fingerent: ut accidit tale quid Iconii *Act.* XIV. ℣. 11. 12. Sed quàm id ipſe abominatus fuerit, ſatis ex eádem narratione conſtat. Atq; obviam itum voluit, illiuſmodi circa ſuam Perſonam exorbitationibus, cùm *Hocce*, (nempe talis) agnoſci ſeu reputari vellet, *Quod*, (ſeu qualis) erat: nempe Apoſtolus, ac Homo Miniſter; non Angelus aliquis,

quis, aut Deus. Vnde etiam, cùm inquit, μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται, ὑπὲρ ὃ βλέπει με: hoc est, *ne quis in me reputet supra id, quod videt, me, scilicet esse*: non dixit, supra id, quod sum, sed *quod videt me esse, aut quod audit ex me*. *Homo* erat, *Apostolus* Christi erat, *Minister* ac dispensator Mysteriorum Dei. Id erat manifestum. Videbantur & audiebantur, certa huius conditionis & functionis in eo experimenta. Supra id ne sibi quid imputaretur, præcautum voluit prudenti de suis Revelationibus silentio. Et jam quoq; 1. *Cor.* IV. ℣. 1. disertè monuerat: *Sic nos æstimet homo* (seu unusquisq;) *ut Ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum* DEi.

SECT. 30.

Quid ex consideratione istâ Elationis etiam in Sanctissimis metuendæ, *sed* Divino Consilio *præpediendæ singulariter, notandum veniat.*

Liquet ita ex iis, quæ pro Apostolicorum in periochâ nobis propositâ Verborum illustratione, hucusq; diximus, quàm *Finis* haut leviculus, aut modici momenti, notetur Consilio Divino spectatus

fuis-

fuisse: cùm isthuc illud directum intelligitur fuisse: ut Elatio seu Jactantia, præcaveretur; vel etiam Visionibus sublimissimis ac Revelationibus licentiosiꝰ effutiendis quasi repagulum aliquod poneretur.

Præclarè sic quidem patet, quæ humanitus metui in nobis possunt, tanquā Gloriæ Divinæ obstitura, Salutiq; hominum non leviter incommodatura, iis Divinam Sapientiam satagere sic maturrimè prospicere, ut ne in nervum erumpant. Adeò est indulgens simul ac providus, Pater in Cœlis ille supremus, erga nos: ut quasi ex metu etiam quodam, per ἀνθρωποπάθειαν sibi tributo circa nos, prævortat malis ex nobis oborituris. Occurrebat in Paulo, post Revelationū Divinarum ὑπερβολὴν, quod pro humanæ indolis modo, metueretur, malum. At præstò est Cœlestis Providentia, malumq; in Paulo, post bonum excellentius illud, metuendum, Consilio Singularissimo amolitur.

Ad modum consimilem innuitur *Deut.* XXXII. quoq;, quid quasi ex metu quodam futurorum eventuum, Divinæ Gloriæ nimis adversaturorum, constituerit Deus de populo suo, ℣. 26. 27. *Statueram quidem*, inquit, *quòd disjicere eas vellem per angulos terræ, tollereq; memoriam eorum è mortalibus: nisi ferociam ho-*

hoſtium veritus eſsem: ne fortè hoſtes eorum ſibi id arrogarent: ne fortè dicerent; Manus noſtra excelſa, & non Dominus operatus eſt univerſum hoc &c.

Fuit tùm quoq; temeraria Gloriatio, quam intercıſam Deus, ſeu prævulſam voluit, quaſi ante herbam: deditq; ſic velut metus aliquis, Occaſionem, Divino Conſilio convenienter moderando: uti circa Paulum hic affine quippiam eveniſse haut obſcurum eſt. Involvunt iſta, dum ſic docentur, ἀνθρωποπάθειαν quidem, ſuntq; accipienda ita, ut θεοπρέπεια maneat ſalva. At interim perquam exiſtunt accomoda, ad efficaciter nos erudiendos in *Fiduciam de Paternâ Benignitate DEi, & Sollicitâ quadam ejusdem Proſpicientiâ*: ut circa nos in omnem modum procuretur, quod eſse poteſt Sanctiſsimo Nomini eius glorioſiſsimum, noſtriſq; ſimul Animabus exiſtat verè ſalutare.

Sed & illud hac parte non omittendum, ut agnoſcamus, quæ ſupereſse ſoleant in *Hominibus etiam Sanctiſsimis Infirmitates*, etiam ubi iis dotibus inſtruuntur, quæ ad Sapientiam ſpectant planè Divinam. Eleganter hinc & nervoſè *Auguſtinus lib.* 1. *de Gratia Chriſti, Contra Pelagium & Cœleſtium cap.* XI. *Quid dicam*, inquit, *de Revelatione Sapientiæ?*

Neq;

Neq; enim facilè quisquam ſperaverit in hac vitâ poſse pervenire ad magnitudinem Revelationum Apoſtoli Pauli. Et utiq; in eis quid aliud credendum eſt ei revelari ſolere, niſi quod ad Sapientiam pertinet? Et tamen dicit, In magnitudine Revelationum mearum ne extollar, datus eſt mihi Stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.

SECT. 31.

Quid de illâ verbi ὑπεραίρεσθαι *Explicatione ſenteindum, cùm redditur,* ſupra modum efferri, *vel etiam,* Ab aliis glorificari.

ID vel obiter præterea circa hanc partem notari, abs re non fuerit, *Interpretes* eos, [illegible] ſecuti, τὸ ὑπεραίρωμαι, reddi[illegible]*dum efferrer*, ſic haut ſatis intra vim v[illegible], ne dicam, intra juſtam quoq; rerum conſiderationem propè ſe continuiſse: ut non videri propemodùm queant, Apoſtolo aliquid, tacitè vel licentiæ affingere; vel labeculæ impingere, minùs convenienter. Nempe eâ ratione ſignificaretur, Apoſtolum ſe omnino extuliſse, vel quadantenus efferre potuiſse: adeoq; id ſpectatum

tum fuiſse Conſilio Divino, ne modum tantúm excederet, in ſeſe efferendo: cùm efferre ſe quodammodo poſset.

Sed mihi quidem, hoc affirmare de Apoſtolo, religio fuerit: quicquid videri aliis queat: cùm præſertim cogito, quantâ cum proteſtatione, & quàm invitus, vel ſpecie quadam Gloriationis obtrectatores ſuos retundat: uti conſtat ex iis, quæ capite præcedaneo leguntur, ℣. 18. 19. 20. 21. & *ſeqq*: Si Græcum quidem verbum, ὑπεραίρομαι, preſſè expendatur, valet ſimplex αἴρομαι, tantundem quandoq;: ut extolli efferriq; ſignificet: ut reddi probè videatur, particula ὑπὲρ accedente, per *Superefferri*, ſeu *Superextolli*: poſsitq; adeò nimia quædam, ſeu modum excedens, Elatio, ſic cenſeri innui. Sed enim neceſsitas nulla exigit: ut ſimplex verbum illud, ex vi ac uſu omnino illo, accipiamus: quem propriè habet, cùm dicitur ἐξαίρομαι. Apoſtolus utiq; ſi ſpectare illum planè ſenſum voluiſset, atq; Elationem ultra modum tendentem, exprimere ſeu nimiam, ἵνα μὴ ὑπερεξαίρωμαι, hoc eſt, *Ne ſuperefferar*, dicturus fuiſſet: ut videmus eum conſimili verbo ὑπερεκτείνειν uſum eſse 2. *Cor*. x. ℣. 14.

Annotat ex Recentioribus Lexicographis *Criſpinus* ſanè Significationem illam, *Supra*

modum sese efferendi, quasi unam & perpetuam in verbo isthoc. Sed aliud docent, tum Veteres, *Hesychius*; cui ὑπεραίρεται est tantundem, ac ὑψοῦται: tum ætatis propinquioris Auctor, *Phavorinus Camertes*; cui ὑπεραίρω, est vel τὸ νικῶ, vel τὸ ὑπερβαίνω: tum Recentiores quoq; ut *Stephanus*, qui disertè monet, non tantùm, *Extollere*, vel *Efferre supra*, sed interdum etiam simpliciter *Extollere*, vel *Efferre*, id verbum significare.

Quin ubi de Passivo ὑπεραίρομαι disserit, eam, quam nos antè inculcavimus hoc loco agnoscendam vim, ipse quoq; , adducto Apostoli loco, exponit: verbis Apostoli ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, subjiciens, *Ne me efferam*, vel, *Ne me extollam*: atq; præterea, id ipsum, quod nos hic monendum sumsimus, itidem monens: *Nec enim* (ait) *videtur necesse esse, addere, supra modum: ne videatur concedi illi, se efferre, sed non supra modum.*

Quamvis, ut illud quoq; hoc loco nō reticeā, quod ex *Annotationibus Erasmi* conjectare licet, atq; ad excusandū Versionē istā facere aliquo modo potest, nō fuit forsan etiā ea mens Interpretibus illis, qui dictum illum loquendi modum adhibuerunt, ut aliquid Elationis licitæ innuerent: sed ut vehementem atq; superciliosam Elationem tantùm, qualis ob

Reve-

Revelationum hyperbolen existere potuisset; excludendam tantò luculentiùs significarent. Eo collimare *Erasmus* videtur, cùm annotavit: *Vox Græca, plus sonat, quàm extollar: imò supra modum efferar: quasi dicas, ne superefferar plus satis.* Neq; aliò spectat, credo, quod *Musculus Dusanus* habet, cùm, *Supra modum*, ita explicat, ut tantundem sit, ac *supra id, quod par est, seu convenit.*

Minùs tamen à vero sensu id abit, quod apud *Theophylactum* indicatur à quibusdam factum esse: ut τὸ ὑπεραίρωμαι reddiderint, per, *Extollar*, eo sensu: *ne supra modum glorificetur ab hominibus.* Quod quamvis *Theophylacto* minùs videatur admittendum, sic tamen hoc loco locum habere potest: ut Paulus saltem Occasionem cogitetur dare potuisse, ad istiusmodi quandam sui Glorificationem nimiam: quamvis id præcipuè spectatum fuerit, ut ne Paulus ipse aliquid hîc in se admitteret minùs probandum.

SECT. 32.

Quid ex isto Elationis periculo, *quod in Paulo fuisse significatur, nobis* Cautelæ *emergat.*

DVm ſic autem, apud tantum iſtum Apoſtolum opus fuit, divinitus illi proſpici, ne ſe efferret, quoad in carne eſset: agnoſcendum nobis prælucidè offertur, quæ *Carnis ſit conſtitutio, etiam in Sanctiſsimis*: & quàm proclive cenſendum ſit eſse, etiam in illis, ut propter prærogativam aliquam inflentur, ac ſuperbiant. Non eſt vanæ ſubjectionis illud, quod in *Gloſsá interlineari*, ad hæc verba legitur: ubi à Paulo ſcriptum eſt, Et ne efferrer. *Quis ergo de ſe ſecurus?*

Si hoc erat Apoſtolo, rationatur graviter *Muſculus Duſanus, tot laboribus ac periculis depreſso, usq; adeo timendum: ut ſingulari antidoto opus haberet: per quod contra tentationem Superbiæ, in humilitate ac modeſtiá contineretur: quid nobis non eſt multò timendum amplius, qui etſi parem revelationum excellentiam conſecuti non ſumus: multò tamen minus habemus roboris ad reſiſtendum tentationibus ſuperbiæ, quantumcunq; levibus ac minutis, quàm habuerit ille, contra tam graves Superbiendi occaſiones.*

Non temerè addemus exinde & illud, quod Auctor idem poſt iſta ſubmonet: *Admodum deſipere eos, qui ſtudio Dignitatis ac Honores in hoc ſeculo ambiunt, nec probè ſecum conſiderant, quantis ſe ipſi periculis obnoxios reddant.* Quàm

Quàm ſit autem illud quoq; deteſtabile, ſi ſuper alios efferri affectes, cùm præſens illud DEI circa præcidendam in Paulo Elationem, Conſilium nos docet: tum verò præclarum in modum ex eo liquet, quòd de *Homine peccati. Filio perditionis*, 2. *Theſs.* II. ℣. 4 inter alia & hoc ceu graviſsimum crimen notetur, quòd futurus ſit, ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, hoc eſt, *efferens ſeſe ſuper omnem, qui dicitur DEus, aut Numen.*

SECT. 33.

Quo Auctore, *vel* Directore *Remedium illud Paulo adverſum Elationis periculum contigerit.*

QVo *Auctore* ſeu *Directore* remedium hoc circa ſe, ad Elationem, poſt Revelationes illas diviniſsimas, excludendas adhibitum fuerit, ſignificat Paulus, dum ait, ἐδόθη μοι.

Non exprimitur ſic verbis ipſis iſtis *Auctor aliquis* nominatim. Dum tamen dicitur, ἐδόθη μοι, h. e. *datus eſt mihi*, jam ſubintelligitur neceſsariò *aliquis*, qui dederit. Atq; in hoc etiam contextu, ut alibi ſæpe, innuitur eâ loquendi formulâ, ſublimior aliquis & non homine tantum, ſed Angelis quoq;

major, cujus hîc saltem voluntas intervenerit. Neq; dubitari potest, quin *Auctor* intelligendus sit, adjungendi Paulo Castigatoris, seu, Absterritoris adstitis, extitisse ille ipse, quem deprecatione suâ adortus postea fuit, cùm amoveri eundem abs se discuperet.

Benè adeò *Glossa interlinearis Ordinaria*, subaudiendum, *a DEo*, esse notat, dum dicitur, *datus est mihi*: ut cogitetur explicatè, id, quod datum hic esse significatur, esse datum à Deo.

SECT. 34.

Qualis hic Datio *notetur*, cuiq; bono *facta*, & Quo *eadem* modo *pleniùs veniat intelligenda.*

AT *qualis ista Datio* exstiterit, & *Quô modo seu pacto*, eadem acciderit, id quoq; altiùs expendendum veniet, si quæ sequuntur verba, propiùs intueamur. Cùm enim ad rem referatur Datio hæc, malam aliquam in se, puta ad *Satanæ Angelum*, seu *Angelum Satan*, non omnino propriè ea potest accipi, nec intelligi, talis, ut statuatur merâ & ultroneâ liberalitate aliquâ ac largitione, peracta fuisse: Sed accidisse eam ita

cogitari oportet, ut *Permissio* quædam intervenerit circa Malum Spiritum: uti notum est, verbum *dandi* hunc usum, pro rerum, ad quas refertur, respectu, habere. De quo verbi eius usu, res notior est, quàm ut ullâ conquisitione locorum opus sit. Satis fuerit verba intueri illa, quæ *Psal.* XVI. ℣. 10 leguntur: *Non dabis Sanctũ tuũ videre corruptionem*: quæ eadem leguntur item *Act.* II. ℣. 27. & *c.* XIII. ℣. 35. ut alia ejus census prætereamus omnia.

Attamen nec *Permissio* hic nuda aliqua intelligenda est; sed cum *Directione in Bonum Pauli* coniuncta, & cum *Ordinatione ad finem usumq; salutarem*, restricta. Atq; illud quidem, quòd *Datio* hæc in Bonum Pauli directa fuerit, notanter significatur, cùm dicit, ἐδόθη μοι, hoc est, *Datus est Mihi*, nempe, ut *Glossa Interlinearis* benè explicat, *ad meam utilitatem*. Et sic porrò, quicquid mali permissum hîc circa Paulum fuisse significatur, id datum Paulo, seu ordinatum circa eum, ita fuisse innuitur; ut Remedii loco datum, ordinatumq; esse intelligatur. Annexis enim continuè verbis, cum figuratione emphaticâ declaratur, cuius Remedium illud modi, qualisq; efficaciæ, ac cui proximè parti quasi applicatum fuerit; tum verò quod-

nam in specie id ipsum etiam extiterit, apertè indicatur.

SECT. 35.

Quem Ordinem in nexu verborum illorum, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος Σατᾶν, *observari conveniat, ut meliùs omnia intelligantur.*

QVò clariùs autem res omnis ea, ac Cohærentia verborum vera, hoc loco, intel- ligi queat, structuræ seriem potiùs in conside- rando observasse, quàm verborum, ut legun- tur, ordinem pressisse expediet. Vti enim in aliis istiusmodi census locutionibus, si re- ctè intelligi debeant, priùs respiciendum ve- nit, ad structuram, quàm ad verborum ipso- rum collocationem: ita hîc quoq; agendum esse, apparet. Cùm Græcorum Proverbio dicitur, σκώληξ παράσιτος τῶν ἐχόντων τὴν ουσίαν (quod apud *Schottum* leges in Stromat: n. 834.) hoc est. *Vermis parasitus eorum qui quid habent Substantiæ*: facilè animadvertis, ad τὸν παράσιτον, priùs respiciendum venire, in intelligendo, si sensum assequi commodum velis, quàm ad τὸν σκώληκα, utut nomen hocce in collocationis serie præmittatur. Quod ipsum

ipſum in eo quoq; conſpicuum exiſtit, cùm apud eundem legis ibid. num. 674. λιμὴν ἀτυχίας ἐστιν ἀνθρώποις τέχνη: hoc eſt, *Portus infelicitatis eſt hominibus Ars.*

Qui verbis Apoſtoli ſic putárunt lucem conciliari poſse, ſi reddantur, *Datus eſt mihi Surculus carni, nempe Angelus Satan*, illi id, quod explicatur hoc loco, ita fecerunt interpretatione ſuâ accipi, ac ſi vicem ſuſtineret explicantis: puta, quaſi σκόλοψ τῇ σαρκὶ, explicaretur per id, quod nominatur, *Angelus Satan*: Cùm contrarium ſit agnoſcendum potiùs, atq; Angelus Satan, explicetur per alterum, cùm dicitur σκόλοψ τῇ σαρκὶ: & retento ordine verborũ, explacatio ſic potiùs inſtituenda ſit, *datus eſt mihi tanquam* σκόλοψ τῇ σαρκὶ, Ἄγγελος Σατὰν.

Atq; adeas mihi in Sacris Libris, vel unum *Proverbiorum Codicem*, pauxillisperq; videas, uti in *Ebræo*, aut apud *Interpretes* etiam verba preſsiùs ſecutos, habeant loca, huic noſtro affinia. Exemplorum ſic affatim occurret, ubi, *velut*, vel *tanquam*, aut conſimilem particulam præaſsumunt Interpretes, qui ſenſum exprimere planiùs nituntur: ut nos hoc Pauli loco faciendum item arbitramur.

Ad verbum in *Ebræo obveniet*, atq; in *Vulgatâ etiam Verſione* non aliter, uti apud LXX. etiam, leges plerubiq;,

Cap. x. ℣. 11. Vena vitæ, Os Justi.
℣. 17. Semita ad Vitam, Custodiens Correctionem.
℣. 20. Argentum electũ, Lingva justi.
xi. ℣. 22. Inauris aurea, in naribus porci, Mulier pulchra & deficiens consilio:
xvi. ℣. 24. Favus mellis, Eloquia dulcia;
xvii. ℣. 8. Lapis pretiosus, Munus in oculis domini sui:
xviii. ℣. 10 Turris fortis, Nomen Jehovæ;
xx. ℣. 5 Aqua profunda, Consilia in corde viri;
xxi. ℣. 1 Rivuli aquarum, Cor Regis in manu Johovæ.
xxii. ℣ 14. Fovea profunda, Os alienarũ;
xxiii. ℣. 27. Fovea profunda, Meretrix; & puteus angustus, Aliena.

Et sunt ejus generis infinita propè alia ibid. in propatulo.

Apud Interpretes, planè ista reddere affectantes, *Pagninum, Mercerum*, leges perpetuò præascitam particulam, *ut* aut *velut*: Vt *Vena vitæ, Os justi*: Velut *Semita ad vitam, est custodiens justitiam*: Vt *argentum electum, est lingua justi.* Atq; sic item in reliquis.

Lxx. etiam cum reddere verba evidentissimè voluere c. xxi. ℣. 1. habent,

ὥσπερ ὁρμὴ ὕδατος, οὕτως καρδία βασιλέως.

Neq; verò in ſolis iſta ratio *Proverbiis*, quæ poëticum quiddam habere cenſeri poſſunt, reperitur: ſed alibi quoq; in Hiſtorico ſcribendi modo, eadem eſt non prorſus inuſitata. Exemplum ſufficere unum illud poteſt, quod hîc addamus, ex 1. *Maccab*.c.1. ubi cùm verſu undecimo, de Alexandri M. poſteris dicitur: καὶ ἐξῆλθεν ἐξ αὐτῶν ῥίζα ἁμαρτωλὸς, Ἀντίοχος ἐπιφανὴς: nemo non videt, id quo per ſimilitudinem declaratur nomen conſequens, præmitti: atq; ſi verba ſtructuræ ordine penſites, Antiochum ſic deſcribi, quòd fuerit, quaſi radix peccatrix.

Si illud quis forſan uſurpâret, in ſermone de Alexandro M. faciendo, quod *Paulus Oroſius* illi tribuit: ut dicat immiſsum eſse ſuo quondam ſeculo, magnum miſeriarum gurgitem, & totius Orientis atrociſsimum turbinem, Alexandrum Magnum: quis non facilè viderit, ad Alexandri M. perſonam ſic primo reſpiciendum venire: quæ autem præmittutur verba, de eâ per comparationem ſeu ſimilitudinem prædicari, utut præmittantur in ſermone, ad dictum modum ennunciato. Conſimilis ratio in Pauli verbis uſuvenire ſic utiq; convenientiſsimè atq; expeditiſsimè agnoſci poteſt.

SECT.

SECT. 36.

Ex Quo rerum genere *Remedium Paulo contra Elationis periculum fuerit adhibitum*.

SIc igitur, verbis hoc loco acceptis, ut datus intelligatur, tanquam σκόλοψ τῇ σαρκί, Ἄγγελος Σατᾶν, respiciendum primò est ad nomen, Αγγέλου Σατᾶν, atq; ita *Genus Remedii ipsum*, seu id, quod Paulo divinitus datum pro *Remedio* vel Prophylactico fuisse indicatur, considerandum ante alia venit: quod nomine Ἀγγέλου Σατᾶν denotatur.

Ea verò Periphrasi, si verba secundum usum tritissimum accipiantur, planum est, notari Personam aliquam ex Spirituum genere, non sanè illam probæ notæ, sed sequioris ac malignæ, seu Cacodæmonem. Angeli enim nomen, quid vulgatissimo usu signet, notum est: siquidem *Maleach*, cui nomen illud respondet, uti generatim *Ministrum quendam potentem* significat, præsertim ad perferenda mandata, & expedienda aliqua, longiùs à suo Domino remota negotia, missum: ita illis sigillatim, & usu Scripturæ frequentissimo tribuitur, qui per naturam sunt ad tales missiones & expeditiones exapti: Spiriti-

titibus nimirum Cœleſtibus, ad hoc ipſum, ut dictâ ratione mitti poſsint, à Deo primùm conditis. Cùm autem hîc *Angelus Satan* dicitur, ſeu *Angelus Satanæ*: vel Angelus malus quispiam, ſic denotatur ſimpliciter; vel certè ita deſcribitur ille ab Anteſignano, cui ſuberat, nempe Diabolo; quem Ebræi *Satan* vocant.

Atq; in eam rationem, ut qui hîc nominatur Angelus, intelligatur dici Satanæ Angelus, *Interpretum pleriq; omnes* concedunt.

Sunt ſic aliqui ſanè, qui putant ipſum nomen, *Sâtan*, hoc loco, generali etiã ſenſu accipi poſse, ut adverſarium denotet, quemadmodum Angeli nomine nuntius item denotetur: quâ ratione hic nihil aliud, quàm emiſsarius quidam adverſator, illorum judicio, intelligendus veniret. Sed Ebræum nomen iſtud hîc adhibere Apoſtolum in linquâ Græcâ voluiſse, alio ſenſu, quàm ut Principem illum Malignorum Spirituum notaret, vix veriſimile videtur.

Et tota Contextus huius ratio nimis per ſe loquitur, non vulgare quiddam, ſed ſingulare prorſus Elationis prohibendæ medium denotari.

Neq; facilè etiam oſtendetur locus, ubi *Satanæ* nomen, cum Angeli nomine ſic appoſi-

positivè connectatur, sensu, ut vocant Grammatici, appellativo, seu adjectivo potiùs, hoc est, ut adversarium generatim designet. Saltem in Græco Apostolorum sermone hoc insolens esse liquet, ut sic adjectivo sensu Ebræum nomen aliquod substantivo alicui addatur, vixq; apud illos erit puto exemplum, quod proferri ejus generis aliquod possit.

Quocirca satius videtur, usitatissimam significationem, seu usum receptissimum, ac tritissimum, in vocibus hisce, cùm *Angelus Satan*, nominatur, agnoscere: & eorum sententiã pro probabilissimá habere, qui *Angelũ Satanæ* interpretantur, atq; per eum intelligunt, quendam ex Spiritibus malignis, supremo illorum Duci, *Satanæ*, seu *Diabolo*; subditum ac parentem.

SECT. 37.

Angelus Satan, *seu* Satanæ, *quî dicatur ex Scripturæ usu, & hîc dici agnoscendus sit.*

QVod ut percipiatur de Sacris fontibus quàm dilucidissimè, notandũ est, in divinis Literis nomen *Diaboli*, adeoq; *Satanæ* etiam, quatenus cum nomine illo, (ut *Apoc.*

xx. ℣. 12.) pro eodem habetur, (Nam hoc interdum generaliùs usurpari, liquet ex verbis Christi, quæ leguntur *Matt:* xi i. ℣. 27.) quasi proprium Vnius usurpari, qui sit in genere illo malignorum Spirituum, Dux atq; antesignanus. *Diabolorum* nomen, utut ex vernaculo nostro, & vulgari in Latinâ linguâ usu, id receptissimum sic videatur esse, nusquam tamen plurativo illo modo, in literis Propheticis Apostolicisq; invenies: si loca accuratè vel omnia intuitus fueris. *Dæmonia* enim nominantur, in Græco, ubi Germanis (haut scio, an etiam Nationibus aliis) plurale nomen illud occurrit apud Interpretes.

Disertè autem distingvitur *Diabolus*, tanquam Persona una & Singularis, ab *Angelis* suis, cum *ignis paratus* dicitur *Diabolo & Angelis eius*, *Matth*: xxv. v. 41.

Atq; hanc Ordinis inter Spiritus malignos rationem, de isto tam claro Scripturæ loco, jure unam agnoscimus. Fabulis plusquam affinia censeri possunt, quæ de *novem Spirituum* eorundem *Ordinibus* aliàs traduntur: ut princeps primi ordinis, sit *Beelzebul*; secundi, *Diabolus*; tertii, *Belial*; quarti, *Asmodeus*; quinti, *Satanas*; sexti, *Merim*, seu *dæmon meridianus*; septimi, *Abaddon* seu *Apollyon*; octavi *Astaroth*; noni, *Mamona*.

Mera

Mera quidem fabuloſitas, ex nominibus, quæ Scripturæ uſu cæteroquin inter ſe æquipollét, dum tam ſuperſtitioſè diſcernuntur, facilè elucet. Neq; ſi novenarii iſtius Ordinis diſcrimina reliqua reſpiciamus, (per quæ primi ſtatuuntur ψευδόθεοι; h. e. *Affectatores Deitatis*, ut, pro diis habeantur; ſecundi, *Spiritus mendaciorum*; tertii, *Vaſa iniquitatis*; quarti, *Vltores ſcelerum*; quinti *Præſtigiatores*; ſexti, *Poteſtates aereæ*; ſeptimi, *Furiæ diſcordiarum ſeminatrices*; octavi, *Calumniarum auctores*; noni, *Tentatores & inſidiatores*:) quicquam è Scripturis vel in ſpeciem eo facere videmus. Illi, qui *Diabolus*, qui *Satanas*, qui *Beelzebul* vocatur, promiſcuè pleraq; iſta omnia tribui videmus: quòd *affectet, pro DEo haberi*; quòd *pater* ſit *mendacii*; quòd *homicida* exiſtat; quòd *calumniator* ſit, quòd *tentator*, & quæ ejus generis ſunt alia.

Huic igitur alii adiuncti, aut ſubordinati ſignificantur eſse, Angelorum ejus nomine. Subiuncti autem illi, ceu Duci cuidam aut Archiſtratego, ita eſse innuuntur: ut ejus agnoſcātur emiſsarii eſse, qui, quò ipſe cupiat, obſequioſè pergant; qui, quod ipſe velit, dum DEus permittat, promptiſsimi patrent. Quamvis ex eo quoq; (ut paulò antè etiam monuimus) nomen habere Angelorum

lorum dignosci possunt, quòd ab initio, spiritus illi quicunq;, sic conditi fuerint: ut essent, qui mitterentur: cùm præsertim ab Duce illo suo, nec à defectione suâ, nisi DEo quasi fræenos ipsis laxante, mitti non possint.

Cùm defecisse autem illos à DEo constet, haut certò id explicatum usquam tamen legitur, an Dux quispiam cœlestis, cum suo satellitio ac grege, sic defecerit: (quod probabile admodùm videtur:) an qui defecerint, sic porrò in ordinem nihilominus redacti fuerint, ut unus esset in defectrice catervâ, qui reliquis præesset.

Id certum est ex Christi verbis, quæ paulò antè indigitavimus, *Diabolū* existere Ducem, cui Spiritus maligni alii, seu dæmonia, ut Angeli atq; commissarii, subjecti esse intelligantur.

Ex cohorte igitur Diaboli, seu Satanæ, illâ, certus Stipator, Satellesve aliquis hoc loco intelligendus omnino venit, cùm Angelus Satanæ Paulo datus seu additus, (quam verbi vim hic esse posteà ostendemus) fuisse dicitur.

Atq; ut eum omnino in sensum, *Angelus Satanæ*, qui nominatur, hoc loco accipiatur: quo non Angelus tantùm noxius, sed ex illo etiam genere, qui Summo Perditori

ſunt ſubjecti, certus aliquis intelligatur, tam nihil prohibet: ut verba ipſa talem ſenſum, in narratione, qualem Paulus hîc inſtituit, planè indicare videantur. Putem enim vel propterea nomen, *Satan*, hic fuiſse retentum, ut tanto faciliùs animadvertatur, ad Archiſtrategum illum reſpici, qui nomen illud apud Dei populum κατ' ἐξοχὴν habet. Nam utut apud LXX. nomen idem retentum alicubi videatur, in Græco etiam Textu, ſub eâ ſignificatione, quâ adverſarium denotat: puta 1. *Reg.* 11. ℣. 14. 23. 25. Aliàs tamen & multò frequentiùs, cùm præſertim in lingvis etiam aliis retinetur, fit illud cum reſpectu utiq; ad ſignificationem illã in Ebræâ Linguâ tritiſsimam & notiſsimam, quâ Malignus ille Spiritus denotatur, quem LXX in Jobo inſigniverunt Διαβόλου nomine perpetuò: ut & *Pſalmo* CIX. ℣. 5. Zachar. III. ℣. 1, 2. Nomine Σατᾶν deſignatur etiam in Græcis 1. *Paral.* XXI. ℣. 1. Retinuit quoq; Vulgatus Interpres Latinus nomen idem, Satan, in Jobo ubivis: niſi quod bis per relativum duntaxat, ſermonis curſu ita ferente, illud cenſuerit potiùs innuendum, quàm exprimendum: cùm in Ebræo Textu aliàs duodecies ibidem expreſsè occurrat.

Atq; ubi in Græco apud LXX retentum, extra

extra significationem istam, legitur: 1. *Reg.* 11. ℣. 14. 23. 25. haut scio, an consilium fuerit LXX. Interpretibus, ob peculiarem quandam in Ebræo Textu particulæ cuiusdam rationem, innuere; id ipsum à DEO sic factum significari, quod isthic narratur: ut Satanæ molitio intervenisse cogitari debeat.

In Novo Testamento aliàs, istâ scribendi ratione, ut præsente apud Apostolum loco cernitur, nomen Σατὰν, nusquam alibi obvenit: sed Σατανᾶς perpetuò, ubi occurit, scribi legitur. Nusquam tamen non significat Spiritum illum malignum. Et cùm *Matt.* XVI. ℣. 23. *Marc.* VIII. ℣. 33. Petrus à Domino, nomine isto increpatur, satis planum est, per tropum eidem nomen istud accōmodari: ut cogitaret & agnosceret tanto evidentiùs, Satanæ instinctu svaderi, quod ipse tum temporis audebat Magistro inculcare: Satanæq; vicem in dehortatione illâ ipsum velut subiisse. Adeò nec hîc referre nomen illud aliò, quàm ad Spiritum malignum illum, convenit. Nam utut in Græco *Articulus* desideretur hoc loco, qui alibi ferè semper expressus reperitur, ubi scilicet nomen Σατανᾶ Scriptum legitur: factum tamen id Ebræâ imitatione putem, ubi sine articulo nomen idem non semel obvenit, ut lo-

co antè citato, 1. *Paral.* xxi. ℣. 1. & *Psal.* cix. ℣. 5. Et Antiquissimus Interpres N.T. Syrus, hoc loco adhibitum omnino Articulum voluit: dum reddidit *Maalche Desatana*: Nec alii Interpretes pleriq; non adhibuêre casum secundum, *Satana*. Sic *Vulgatus Latinus* habet, sic *Tertullianus*, sic *Cyprianus*, qui alio ante illum interprete videntur usi. Sic nupero seculo *Erasmus*: sic *Castellio*: Sic in Lingvis plerisq; illustrioribus alii. Sic Interpres *Gallicus*, *Italicus*, *Anglicus*, & alii. Quæ omnia haut leve argumentum præbent, ut Angelum Satanæ hîc illo sensu nominari agnoscamus, quem satis hucusq; explicavimus.

SECT. 38.

Qui Angelus Satan *etiam alio sensu, voce* Σαταν *appellativè intellectâ, accipi posse hoc loco congruenter, videatur.*

QVòd si cui nomen σαταν, hoc loco, omnino appellativè, casuq; recto, accipiendum videatur (ut tamen vix voluisse Interpretes omnes eos etiam putem, qui simpliciter id sic retinuêre, absq; expresso casus judicio: quod *Beza*, *Arias Montanus*, *Belgicus*

Inter-

Interpres Marlorati, Bohemi item egêre) fermè dixero, Angelum hic congruenter intelligi posse, qualis Bileamo obstitit, *Num.* XXII. ℣. 22. Cui, si Textum Ebræum inspicias, proximè verbum idem (*Satan*) appositum ibidem reperies. Ac deduci in eum sensum res isthæc tota satis fortè probabiliter posset: si ea præsertim admittantur, quæ prolixè persecutus est olim, Vir Eruditissimus, *Esromus Rudingerus*, ad Psalmũ LXXVIII. peculiari problemate: *An Diabolus sit administer Pœnarum Divinarum.* In quo pertractando, miror, qui Vir doctissimus potuerit, nec locum illum attigisse ex *Num.* XXII. v. 22. ut vel ipsum verbum *Satan* Bono Angelo etiam tribui ostenderet: nec ad præsentem, quem tractamus, quicquam respexisse. Sanè si Bileamo opponi potuit Bonus Angelus, cùm verbi illius adhibitione, perquam probabile item videri potest, circa Paulum, idē potiùs accidisse, quàm ut Maligno Spiritui tantum adversus eum sit indultum.

Atq; si Herodi, qui ob Elationem, sui nimiam, σκωληκόβρωτος factus esse narratur, *Act.* XII. ℣. 23, Angelus Domini percussor extitit: ut ibid expressè refertur; quid absurdi admittere, ille censeri poterit, qui Paulo, ut per σκόλοπα ab Elatione prohi-

beretur, parem aliquem Angelum fuiſse adhibitum ſuſpicari audeat?

Sed nobis haut libet à Sententiâ communiter hac parte recepta, recedere, verbaq; referre eò, quò nullus unquam Interpretum retuliſse animadvertitur: cùm præſertim, ſi Angelus cæteroquin probus, utut Caſtigator ſeverus, hîc aliquis intelligatur, minùs congruenter factum id videri poſset ab Apoſtolo: ut ejus παράστασιν, ſeu adſiſtentiam, deprecaretur.

SECT. 39.

Angelum Malignum *aliquem, quomodo Paulo* δοθῆναι, datum eſse, *intelligi conveniat.*

Cùm illiusmodi igitur Perſona, pro triſtiſsimo nominum, ab Apoſtolo hîc expreſsorum uſu, planè deſignari videatur: nempe ex cohorte illa Diaboli certus aliquis, ceu *Paredrus Genius*: quærendum preſsiùs nunc venit: quia Paulo datus eſse dicitur talis Angelus, (atq; id à Deo factum eſse, ut antè monuimus, intelligitur,) quem tandem in modum ſatis congruenter, *dandi* verbum hic accipi poſsit.

Atq;

Atq; illam quidem vim, quam verbum ἐδόθη habet usu communi sæpe talem, ut *donari* aliquid denotet, parum liquet Personæ congruere, de quâ hic agitur: non si illam simpliciter spectemus, sed si ad id respiciamus, quod Apostolus eidem consequenter attribuit: nempe ut ipsum colaphiset.

Attamen nec *doni* ratio sic prorsus interverti potest, in Personâ, quæ detur, si sit ex eadem molestiarum non parum, aut fortè etiam dolorum ac cruciatuum affatim: dum istæ modò molestiæ, dolores, cruciatusve in usum vergant commodum, proficiantq; ad salutem. Quod si tamen in verbo eo, præter id, quod de *Permissione* jam antè monuimus, ac *Directione*, hoc insuper agnoscas: ut, *datus est*, tantùndem sit, ac *additus* vel *adjunctus est*: jam nihil admodùm esse poterit, cur Angelum talem etiam ex Sapientissimo DEI consilio, non agnoscas Paulo adjungi potuisse. Eâ nimirum ratione actum id esse cogitari potest: non, ut pro suo libitu potestatem licentiamve haberet malignus Angel⁹, quidvis adversus Paulum designandi: sed ut invitus etiam quodammodo cogeretur adhærere illi, nec posset, interim quamvis avidissimus, nisi certo aliquo casu, idq; definitos intra limites tantùm, esse molestus.

Vt res isthæc tota perspiciatur tanto dilucidiùs, cogitari poterit, accidisse hîc in Angeli istius adjunctione, simile quiddam, uti apud Romanos fieri svevit, ubi in vincula aut custodiam militarem quis datus fuit. Tum verò receptus mos iste fuit, ut miles adjungeretur, qui catenâ longiusculâ sic adstrictus illi, qui custodiendus erat, hæreret: ut dextrum quidem brachium illius ex unâ; sinistrum autem brachium militis innodatum ex alterâ catenæ extremitate foret, quo pariter incedere cogerentur, nec posset sese sic adstrictus aliquò movere, quin comitem semper adstitemq; haberet militem custodem. De quali custodiæ militaris ratione, videre est in *Coment. ad Tacitum*, explicationes *Lipsii*, *ad libr. Annal.* III. *p. 140. Edit. Lugdunensis in 8.*

Ad talem militis cuiusdam, illi, qui intra certos limites cohiberi debebat, addendi rationem, tanto minùs absonum censeri debet, Paulum hîc velut allusisse: quantò planiùs constat è Sacrá Historiâ, fuisse ipsummet etiam Paulũ pari aliquando ratione constrictum. Quod liquere potest ex loco, ubi Catenæ suæ mentionem facit 2. *Tim.* 1. ℣. 16. Ad quem locum vide mihi quæso *Piscatoris Scholia*: atq; deprehendes, ex dicto

illo

illo Romanorum more verba Pauli luculenter admodùm explicari. Ad parem custodiam. *Lipsius* l. c. refert, quod de *Petro* legitur, *Act.* XII. ℣. 6. Vbi dormiisse inter duos milites commemoratur, catenis duobus vinctus. Quod vix æquè planè intelligi potest, quàm si Petrum duplicatá ratione tum custoditum fuisse cogitemus, pro more illo, quem diximus, catená alterá dextero brachio; alterá sinistro brachio, aut cruri, adstrictá: utrimq; altero extremo militib' ad latus quoq; applicato.

Quá porrò autem ratione acciderit omnino, ut Angelus Satanæ aliquis Paulo sic velut adstringeretur, seu adjungeretur, ita capi verisimillimá cogitatione posse videtur. Nempe, ut postquam DEUS Paulum tantis illis Revelationibus, quantas aliquâ ratione innuit, dignatus est, postquam eundem vas electum fore palàm significavit, intervenisse cogitetur Satanas pro more suo, tanquam ἀντικείμενος, & quidvis contra Paulum, uti olim contra Jobum, moliri affectasse. At DEUM, pro suá in Paulum clementiá & gratiâ singulari, panurgiam hanc Satanæ, in bonum convertisse Ministri sui: ut Satanæ non quidem omnino nihil concederet circa Paulum, at permitteret tamen non nisi aliquid admodum

Paulo ipsi profuturum. Nempe non ipsi Satanæ pro arbitrio in eum dedisse licentiam: Sed Angelum tantùm ejusce aliquem qui terrere atq; percutere posset, admisisse, eumq; sic admisisse, ut cum imperio illi adjungeret, & cum mandato longè restrictissimo: quo servire magis, quamvis cæteroquin hostis infensissimus, cogeretur Paulo, quàm ut eum posset extra casum certum, pro suo lubitu, ullo modo offendere.

SECT. 40.

Quæ differentia sit in eo, quòd Paulus alibi dicatur quosdam dedisse seu tradidisse Satanæ, Et ipsi hic audiatur esse datus Angelus Satan.

ID adeo agnoscendum in hac loquendi ratione, cùm dicitur *Angelus Satan datus Paulo fuisse*: ut discrimen animadvertatur à formulis, cùm dicuntur alibi dati nonnulli fuisse Satanæ á Paulo. Scilicet cùm dedisse vel tradidisse Paulus Satanæ dicitur, seu *incestuosum illum*, 1. *Cor.* v. ℣. 5. seu *Hymenæum & Alexandrum* 1. *Tim.* 1. ℣. 20. Jam intelligitur ipse potestati eius illos subjecisse, ad torquendū, εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, *in car-*

nis interitum, ut Spiritus servetur in die Domini N. I. C. In Paulo autem longè alia ratio hîc agnoscenda est, dum *datus illi Angelus Satanæ* dicitur. Nempe id ita factum in eius bonum omnino fuisse, ut Paulo plus potestatis in Satanam, eiusq; Angelum fuisse de reliquo cogitari oporteat, quàm Angelo illi, aut Satanæ ipsi, in Paulum, permissum fuit; seu κολαφίσματος respectu, seu eo etiam intuitu, quà σκόλοψ τῇ σαρκὶ extitisse indicatur. Id quod ex iis, quæ pòst sequentur, spero plusquam dilucide apparebit.

SECT. 41.

Permissio *in* Dandi *verbo agnoscenda, qui sic* haut nuda, *aut* DEO *non satis digna, appareat.*

AD prædictum ergo modum re istâ explicatâ, verboq; ἐδόθη sic consideratiùs evoluto, nihil puto erit, quod desiderare hactenus possit consideratus Lector, quasi forsan nõ accommodè satis vis verbi illius teneatur, si *Permissio* quædam ponatur intervenisse.

Disputat aliàs vir eximius hîc quidam, nominatim contra *Chrysostomum* atq; inquit: *Viden-*

Videntur mihi non satis perpendere studium DEI in Paulum, qui verbum ἐδόθη *sic exponunt, Permisit DEus. ut Satan adhiberet mihi stimulum. Chrysostomus, forsitan veritus, ne DEo mali quicquam tribuatur, sic exponit:* συνεχώρησε τοῖς ἀντικειμένοις ἐπιτίθεσθαι ἡμῖν. *Verùm Apostolus, non utitur verbo permittendi, sed disertè dicit:* Datus est mihi Stimulus: *ut significet illum reputari à se pro singulari DEi dono.*

Quin subjicit idem: *Hoc genus exponendi Sacras Scripturas, quo verba,* dandi, tradendi, obdurandi, excæcandi, occidendi, perdendi &c. *DEo tributa, per verbum,* permittendi *exponuntur, meo judicio, nec menti Spiritus Sancti satisfacit, nec quod cavere conatur, cavet.* Sic Musculus Dusanus.

At enim ut nos hoc loco *Permissionis* rationem explicavimus, longè id abest, ut non alii etiam actus præter *permissionem nudam* intelligantur, mirandi in DEO, & cum gratiis agnoscendi: quales præ aliis sunt, insidiosæ ac malitiosæ machinationis Satanicæ, tum *Sapientissima* in optimum finem ac usum *Directio*, seu potiùs *Conversio*; tum *Potentissima* intra modum justum *Restrictio*, seu *Coërctio*: de quâ ex sequentibus tamen res clarior evadet. Et ut *Doni* appellatio huc satis etiam congruenter applicari intelligatur, ex medicaminis re-

nis re-

nis respectu illud æstimandum venit. Quod ex sequentibus item magis etiamnum elucescet: licet donum cogitari oporteat tale quoq; quod deprecationi cuidã occasionem præbere queat, uti apud Paulum hîc accidisse istud constat. Nempe medicamentum, quamvis salutare, ob amarorem tamen invisum etiam esse potest, & δῶρον videri ἄδωρον. Pro dono nihilominus ac bono, reputandum venit, dum ad Sanitatem faciat, seu restaurandam, seu à labefactatione præservandam.

Neq; verò *nudæ* etiam *Permissionis* cogitatio locum habebit facilè in verbo, *Dandi*, hoc loco: si illud, ut monuimus accipiatur sensu eo: ut tantumdem notet, ac *Addere*, *Adjungere*, *Adstituere*. In quem sensum nescio an requiri à Lectore possit, ut vel doceatur verbũ istud aptè hoc loco accipi posse. Nam certè vix quicquam est congruentius, quàm ut Angelus ille Satan, *additus*, *adjunctus*, *adstitutus*, *appositus*, &c, fuisse Paulo agnoscatur, tanquam *Coercitor* quidam futurus, seu *Interminator*, aut ut ita dicam, *Absterritor*, ut ne se efferret. Si verbum autem ἐδόθη ex Ebræo *Nathan*, æstimenus, non tam in eo conspicua, est illa permittendi significatio, (quâ ratione etiam per ἐπιτρέπω *Esth.* IX. ℣. 14. & per Ἐάω, *Iob* IX. ℣. 18. translatum reperitur:) quàm est

est item altera illa *Addendi*, *Adstituendive*. Redditum id quidem frequentissimè legitur apud Interpretes Græcos per δίδωμι. Est tamen ubi apud eosdem per τίθημι & παρατίθημι, itemq; προστίθημι ut & προσδίδωμι redditum leges: ut quin ex trito quodam usu, vis eadem verbi simplicis pro composito (quæ cæteroquin Ebraismi propria est) usuvenire hîc potuerit, dubium supersit nullum.

SECT. 42.

Cuiusnam Modi atq; Efficaciæ Remedium *Paulo adhibitum fuisse significetur contra Elationem, dum Angelus ille Satanæ dicitur* σκόλοψ τῇ σαρκί: *Et cui illud Parti fuerit accommodatum, seu applicatum*.

JAm cujus *Modi* atq; *Efficaciæ Remedium* illud fuerit, quod Paulo sic adjunctum seu additum fuisse indicatur, intelligendum amplius datur, dum quo cum Usu, cuiusq; definitim Partis in Paulo sanandæ aut præservandæ respectu, adjunctio illa seu adstitutio Angeli talis facta fuerit, significatur. Quod fit per verba, quæ præmissim quidem posita leguntur, sed subjunctim tamen, (ut patere ex

iis poteſt, quæ ſuperiùs jam diximus,) optimè rectiſſimèq; intelliguntur. Ea verba ſunt, σκόλοψ τῇ σαρκὶ. Cohærent nimirum illa cum cæteris ad hunc modum: *Datus eſt mihi Angelus Satan*, (qui ſit velut) σκόλοψ τῇ σαρκὶ.

Quod quo ſenſu ſatis accomodatè dici in re præſente potuerit, ſic intelligi puto ſatis populariter poterit: ſi nomen σκόλοπος, non omnino pro *Spina* aut *Surculo*, quo pedes offendi; non pro *Sude*, quâ diverberari quispiam; non pro *Palo*, quo ſuffigi, aut ad quẽ adjungi, alligarive aliquis; non pro *Stimulo*, quo incitari beſtia ſoleat; non pro re deniq; ejus generis aliâ quacunq; accipias: ſed ſi pro *Palo* illud habeas atq; interpreteris, qui vel impoſitus humeris, degravet; ne efferre te corpore admodum queas; vel in foſsis valliſq; ſuperſùs adhiberi ſolet, ut aſcenſus præpediatur, illeq; qui aſsurgere velit, ejus objectu offendatur; vel deniq;, (quod negotio præſenti aptiſsimè, puto accomodari poterit,) appendi ſolet ferocioribus animantibus, quas cohibere neceſſe eſt arte aliqua, ne nimis exſiliant, vel ſepta etiam tranſiliant.

Quæ poſtrema *Pali* ſignificatio, ut referatur ſcilicet, ad Elationem propriè dictam compeſcendam; ad tranſilitionem ſeptorum prohibendam; ex vulgari uſu ſatis eſt nota,

nota, & omni utiq; ævo vel rusticis etiam fuit
usu tritissima.

Neq; vis nominis Græci σκόλοψ, ab eo
sensu abhorret quicquam, maximè si specta-
tur ex usu Ebræi sermonis: ubi respondet vo-
ci *Such*, quâ ramus frondosus denotatur &
perplexus: quæq; Græco illo nomine reddi-
ta legitur *Num*. xxxv. ℣. 55.

Sic eadem vox, φορτίον, hoc est *Onus*, quod
portetur, redditur: *Num*. IX. ℣. 48. 49. ut
altera quoq; ratio, quam in pali nomine nota-
vimus, invenire locum videri queat in præsen-
te materiâ: cùm per *onus*, seu gestamen, im-
positum, quasi repagulum Elationi propriè
dictæ afferri cernatur.

Tertiam illam σκολόπων rationem seu u-
sum, ad ascensum prohibendum in vallis
fossisq;, cognoscere licet ex locis Homeri ali-
quot: ubi fossarum meminit sic apparata-
rum, ut σκόλοπες iisdem desuper fuerint adhibi-
ti, quô ascensuris nimirum ab adverso latere
existerent obstaculo. Videat cui libet &
vacat Ἰλιαδ. μ. ℣. 55. & Ὀδυσσ. η ℣. 45. 46.
Ea quin aliquo etiam modo accommodari in
rem præsentem possint, non puto facile erit,
qui per se non perspiciat. Saltem uti in fos-
sâ σκολόπεσσι munitâ ascendi non potest, quin
offensam pariat σκόλοψ: ita nec efferre se

Paulo licuit, quin offenderet qui additus seu appositus ipsi erat Angelus Satan.

Sed illa tamen significatio, quâ nomen σκόλοπος ad *Palum* refertur, appendi bestiis solitum, ut vulgo notior est, ita præsenti negotio utiq; existit multò præ cæteris illis accõmodatior. Quin *Pali* nomen hîc Satis accommodum ad talem etiam usum intelligi potest, utut lignum acutum designare vulgo doceatur. Nam sic quoq; *Palus* ad coercendam ab exilitione nimiâ bestiam aptior existit, si altera parte acutior existat: uti quod σφηκίσκον Græci appellant: ut exilientem bestiam ad collum ventremve suo quasi stimulo feriat, & submissiùs ob punctiones ejusmodi incedere cogat. Vti in contrarium etiam, ad demissionem vultus prohibendam, *Vitellio Germanico Imperatori* accidisse refert *Sext. Aurel. Victor, in Epitome*, cùm ne homo impudens in extremis, saltem malorum, quæ gesserat, rubore faciem demitteret, subjecto in mentum gladio, per scalas gemonias tractus fuit.

Quem in modum, Josepho etiam aliquid accidisse Rabbini fabulantur: ut explicent illud, quod *Psal. CV.* ℣. 18. de ipso legitur: *Ferrum venit in animam ejus.* Vti enim legitur in *Medrasch Tanchuma*, Rabbiq; Salo-

 mon

mon id inde repetit, Veru, seu ferrum acu-tum, Modesto juveni sub mentum fuit ap-positum, ne inclinare faciem posset, ubi re-quirebatur à Potipharis Uxore ad Colloqui-um. Quicquid de fabulâ statuatur, nos hîc non nisi quid ad Elationem naturaliter spe-ctatam faciat, ostendimus.

Atq; id, quod apud *Plautum* legitur παροι-μιῶδες, *in Rudente, Act. v. sc. 2.* ✠ 3. ubi Leno inquit, *Cùm mentionem fieri audio usquam vi-duli, quasi palo pectus tundat*, (seu, ut Dusa legit, tundar), satis docet, pali usum quoq; esse in percutiendo seu percellẽdo pectore, & sic denotari percussionem admodum vehe-mentem. Qualis percussio ex appensione pali oboriri, ipsius gestantis culpâ maximè, solet.

Sic ergò Angelus ille Satan, adjunctus Paulo fuisse cogitari item potest: ut ab eo non nisi suapte culpâ percuteretur, seu per-celleretur graviùs: si scilicet sese fortè inco-gitanter jactaret de Revelationibus suis sub-limioribus, atq; propter eas efferre se nitere-tur: perinde ut palo appenso brutum, tum sibi percussionem seu allisionem excitat, cùm petulanter exilire gestit: si modestè incedat, laborem experitur leviculum & exiguum.

Neq; verò temerè etiam ad nomen σκόλοψ addi-

additum est, τῇ σαρκὶ, non ἐν τῇ σαρκὶ, ut *Cameroni* visum est *in Myrothecio*. Sic scilicet pars illa ipsa in Paulo notatur, cui *Remedium Elationis* istud *Singulare* velut applicatum fuit, atq; accomodatum. Vti enim bestia sic coerceri solet, & intra modestiā faciliùs continetur, si *Palus* illi appendatur: ita perquam dilucidū est, quî Caro in Paulo, per se suaq; naturâ in Elationē proclivis, & luxuriantis bestiæ, indolem ferè habens, coercēri & ab Elatione perpetuò abstineri, ab adjuncto Angelo Satanæ, accommodatissimè quiverit.

Allusione istâ nescio an quicquam planius, ex populari usu, afferri possit: ut res omnis in his Pauli verbis congruentissimè declaretur: atq; nihil sic longè petitum vel alienum appareat à verbis.

Esto tamen Eruditorum de explicatione istâ judicium. Tam enim meliora audire, atq; agnoscere paratus sum, quàm nec invidus, vel nimis pavidus existere volui, in istis sic publicè proponendis.

SECT. 43.

Stimuli *significatio, in nomine σκόλοψ, propè nec usum invenit apud probos Auctores: nec usus ratione vulgo notissimi huc admodum quadrat: utut à* Vulgato Interprete *haud temerè etiam videatur adhibita.*

ET potest verò Explicatio ista, vel inde etiam reddi probabilior, si per appendicem ostendatur: quæ aliàs aliæ in nomine σκόλοπος spectari solent significationes, (puta quatenus vel ad *Stimulum* refertur, incitandis jumentis adhiberi solitum; vel ad *Surculum, Spinamve* aut *Assulam*, fortuitâ infixione lædentem; vel ad *Aculeum* quacunq; ratione pungentem; vel ad *Sudem* diverberando obtundentem; vel ad *Palum*, suffigendo, affigendo, transfigendo corpori inserviente, vitibusve adjungẽdis, pecorib⁹ alligandis, aut hortis deniq; vineisve muniendis idoneũ) earũ nullũ accomodari negotio huic toti sic posse, ut non alienior parte eximiâ aliquâ appareat.

Ac *Stimuli* quidẽ significatio, quæ *Vulgato Interpreti*, aliisq; hîc maximè tamen placuit, à voce σκόλοπος (si usũ spectemus Auctorũ idoneorũ) propemodum videri posset aliena: cùm nec

nec *Henr. Stephanus in Thesauro*; nec *Scapula in Lexico*, Stimuli meminerint, ubi vocem, σκόλοψ explicant: licet interim nihil prætermisisse videri voluerint eorum, per quæ vox illa reddi secundum auctores probos queat: adeoq; tum *Palum præacutum* nominent, tum *Vallum*, tum *Assulas*, tum *Surculos acutos*: *Aculeos* item ac *Stirpem*, exemplo è *Dioscor. lib. 4. c. 176.* notato, ex *Interpretatione Ruellii*. Quam utramq; vocem, in simili re describendâ, *Plinium* quoq; adhibere, observant, *lib.* XXIV. *c.* 11. ubi de Arundine, inquit, *Filicis stirpem corpori extrahit arundinis radix, contrita & imposita*: Et paulò pòst: *Foliis eius ad extrahendos aculeos utuntur*.

Non reticent tamen significationem illam, Lexicographi celebriores alii: ut *Crispinus*; ut *Auctores Lexici*, quod *Basileæ* ex potioribus aliis concinnatum prodiit. Putemq; à *Vulgato Interprete*, haut factum temerè omnino vel privatâ planè auctoritate, ac licentiâ, ut quasi extra usum tum receptum, *Stimuli* vocem huc accommodârit: licet ex usu, quem *Stimulus* vulgarissimum & notissimum habet, minùs huc quadrare vox ea animadvertatur.

Si ex usu quidem Latino æstimatur, fustis est, acutæ cuspidis, (ut *Martinius in Le-*

xic: Philolog. explicat) quo rustici boves suppungunt: quasi Stimulus, à στιγμῆ, punctus, ex στίζω pungo. Quod fieri solet incitationis causâ, ad progressum. Unde *Glossarium Philoxeni* quoq; vocem *Stimulus*, explicat per Synonym. *Incitamenta.*

Κέντρον nomen, quod Stimulus alibi propriè redditur, in *Actis c.* IX. ℣. 5. & XXVI. ℣. 14. Vel ex proverbiali illâ locutione (apud *Pindarum, Euripidemq;* etiam, & in Latinis apud *Terentium* obviâ) quæ isthîc adhibetur, vim prodit eandem, quam in præmissâ Stimuli explicatione Lexicographus tradidit: siquidem ad boves Proverbium illud alludit, calces contra Stimulos, temerè & cùm damno suo exserentes.

Plusquam verò clarè etiam genuinus *stimulorum* usus proditur, cùm apud *Lucret. lib.* 4. dicitur:

Et stimuli subsunt, qui instigant &c.

Dilucidæ accommodationis est illa stimuli significatio, cùm in aliis Scripturæ locis; tùm præcipuè *Eccle.* XII. ℣. 13. ubi inquit, *Verba Sapientum sunt tanquam Stimuli &c.* De quo loco videri potest *Mercerus*, in Commentariis, utpote vim vocis Ebrææ & affinium explicatè ibi persequens. *Doctrinam Sapientum*, inquit, *Stimulis comparat, quòd ut*

stimulo dirigitur bos ad arandum, & excitatur ac docetur, ut rectè aret; sic homines lenti alioqui & pigri ac Imperiti, sæpe Sapientum Sermone excitentur, stimulentur, erudiantur & dirigantur ad viam vitæ.

Jam hîc quidem, ut Paulus ad progrediendum dirigeretur vel excitaretur, non spectatur: Sed ut ne sese efferret. Vnde seposito usu *Stimuli* isto, congruentior allusio aliqua aliunde est quærenda.

Neq; verò *stimulorum* usus, qui in bobus, ubi decumbere solent, excitandi cernitur, huc magis, quàm prior illa ratio etiam facit. Præterquam, quòd *Columella de Re Rusticâ lib.* VI. *c.* 2. ejus usus sic meminit: ut nec in brutis animantibus satis probet. *Est etiam*, inquit, *post domituram mollioris generis bos, qui decumbit in sulco. Eum non sævitiâ, sed ratione censeo emendandum. Nā qui* stimulis, *aut ignib⁹, aliisq; tormētis id vitiū exigi meliùs judicāt, veræ rationis ignari sunt; quoniam pervicax contumacia plerumq; sævientem fatigat.* Quod circa bruta parum adeò probat Magister rusticarius: quid probæ allusionis id ibi præbeat, ubi electo sibi organo rationali, ratione summâ prospectum Cœlestis Sapientia voluit: idq; non ut erigeret sese, sed ne extolleretur.

Quatenus tamen in stimulo *Castigationis*

aliquid etiam usuvenire videtur, non fuerit omnino vox ea à præsenti negotio rejicienda. Quod suo posteà loco amplius ostendemus: ubi de aliquâ commatis hujus explicandi ratione videbimus, quæ quibusvis etiam translationibus accommodari possit. Id ad eã tractationẽ velut in antecessum hic tantùm notetur, posse non Incitationem tantùm, sed *Castigationem* etiam quandam in *stimuli* usu omnino agnosci. Quod nisi præcedens proximè exemplum satis docet, alia tamẽ apud probos auctores loca haut obscurè innuunt. Vt cùm apud *Lucretium* per translationem dicitur, ad *Castigationem*, seu *Correctionem* tacitam describendam, *lib.* 3. *de R. N. Scire licet, subesse*

Cæcum aliquem cordi Stimulum.

Et lib. eod. *At mens sibi conscia facti*

Præmetuens adhibet Stimulos, terretq; flagellis.

Sanè apud eundem auctorem est, ubi videatur *Stimuli* vox sic quoq; usuvenire, ut ad terrorem quendam denotandum adhibita esse animadvertatur. Qualis consideratio in præsente loco, locum fortè invenire accomodatè aliquem facilè posset. Inquit scilicet auctor ille, *lib.* VI. *de N. Rer.*

- - *Interdum præsens vis ipsa pericli*

Subditat hunc Stimulũ, quaã de parte timoris.

Ne pedibus raptim tellus ſubtractâ feratur
In barathrum &c.

Sed nos in loco Paulino iſto, meritò requirimus aliquid popularius, quàm quod ex Poëtico planè uſu adſcitum eſse videatur: cùm præſertim Lexicographorum etiam illorum, quos diximus, judicio, ſtimuli vox non ſatis probè adhibita cenſeatur ad eam, quâ Apoſtolus eſt uſus, vocem Græcam, Latinè exprimendam.

SECT. 44.

Surculi Aculeive *Significatio, quam aliàs nomen* σκόλοψ *admittit, parum hîc etiam quadrat.*

HInc quidem *Surculi* nomen, ac *Aculei*, magis placuit Interpretibus aliis Recentioribus, ipſiq; adeo Lexicographorum celeberrimo, *Stephano*. Qui locum Paulinũ noſtrum, in *Theſauro*, ſub finem, ubi vocem σκόλοψ explicat, attingit, atq; *Aliquam* inquit, *aculei*, ſeu, *aculeati ſignificationem habet apud Paulum, ubi ait*: ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί: id eſt, *Datus eſt mihi Surculus infixus carni, Angelus Satan. Surculus nimirum carni infixus, eamq; aculei modo pungens.*

Sed nec in iſtis nominibus, ſi de vi ſuâ rectè

æſtimentur, haberi omnino id poteſt, quod ſatis congruentem huic loco Alluſionem præbeat. Vt Surculis enim aliquis offendatur, aut Aculeis lædatur, caſu fieri ſolet, non certo conſilio, quale quid hîc apud Paulum accidiſse ſignificatur. Et læſio illa, aut offenſio per ſurculos ſeu aculeos, reddere ineptiores ſolet ad progrediendum, quàm ut conſultò adhiberi poſse videantur: licet eo facere queant: ut ſubſilire & efferre ſe læſus non poſſit. Quod ſi *aculei* ſignificationem ſpectare loco iſthoc Paulus voluiſset, quo apes, veſpæ, crabrones, aut tabani pungere ſolent: jam ipſum Satanæ Angelum potiùs Tabano, ſeu Aſilo, Crabronive, hoc eſt Græcè, ἀνθρήνῃ, σφηκὶ, ἢ μύωπι, comparaſset: quàm ſolius aculei meminiſset: Et non colaphiſandi, ſed pungendi, vel icendi verbum, poſteà adhibuiſset.

Neq, eſt, ut *Surculi* nomen, (vel *Sudis* etiã) Paulino huic loco quadrare omnino ex eo putetur, quòd idem apud Interpretes adhibitum legatur locis iis in V. T, ubi apud LXX. σκόλοψ nomen legitur: quaſi ad ea loca alluſiſse hîc videatur Apoſtolus: nempe *Num.* XXXIII. ℣. 55. & *Ios.* XXIII. ℣. 13. Nam longè illis in locis aliud denotatur, quàm ut certò, ſimpliciterve ſic deſtinato conſilio admitti adhiberive potuerit circa Iſraelitas: uti
qui-

quidem hîc apud Paulum res agnoſcenda venit. Priori quidem loco, quid ipſe DEus præmoneat & prohibeat, apertum eſt. Et quod ſic damnum populo eventurum ſit, denuntiatur.

Altero loco autem, jam poſt neglectum DEi illud præceptum, obedientiamq; illi non præſtitam, denuntiatur pœna: uti rem eam eleganter de fontibus exquirit, & explicatione plenâ illuſtrat *Martinus del Rio*, in Adagiis V. T. Vbi, præmiſsâ vocum ſingularum conſideratione, ſubjicit: *His poſitis locum ſic interpretor: Gentes illas reſiduas crucem Iſraëli futuram, quo ad animam, & quo ad corpus: Animæ, propter Scandalum & imitationem; Corpori, propter crebra bella, peccati ſupplicium. Illi, ait, vos exemplo ſuo ad Idolomaniam adducent: Sic mentis oculos vobis eruent. Ego, ut pœnas pendatis, permittam, eos, qui peccandi vobis illecebra fuerunt, vos contemnere, & arma capere, & non rarò vincere. Permittam ut quaſi ſepes aculeata, vos undiq; exercitibus ſuis circumvallent, ut nullum vobis effugium pateat: ſed vos infeſtent, profligent, diræ ſubdant ſervituti.* Hæc Auctor iſte pro locorum iſtorum V. T. ubi σκόλοψ item fit mentio, illuſtratione. Et vide, uti Joſuæ illa verba explicet quoq; *Lavaterus in Com. p. 75. 6.*

atq; puto nihil isthic agnosces, quod satis cō-modè ad præsentem Pauli locum transferas. Atq; pœnæ etiam, & peccati illius relaxatio, seu sublatio tandem promittitur, apud *Ezech.* XXVIII. ℣. 24. Ubi LXX. itidem habent σκόλοπα, πικρίας nomine addito.

Quæ sic explicatiùs paulò attingere hac parte visum est, ut Lectoribus judicare tantò sit facilius, quàm parum accomodè à magnis etiam quibusdam Viris in tractatione loci Paulini huius, remittantur ad loca illa, quæ notavimus, Veteris Testamenti.

Aculeorum, arte quadam applicandorum, peculiarem usum, in petulcis cùm capris, tùm arietibus, *Columella* cōmemorat, *De Re Rust. lib. VII. c. 3.* ubi docet quâ astutiâ pastores petulcorum illorum animalium sævitiam repellant. *Mensura pedalis*, inquit, *robustam tabulam configunt aculeis, & adversam fronti cornibus religant. Ea res feram prohibet à rixâ, cum stimulatum suo ipsum ictu sauciet.*

Sed exinde quoq; vix adeò accommodum aliquid ad Paulina verba transferri potest, ut per allusionem satis evidentem, & in vulgus notam, σκόλοψ ille dilucidè, & verbis omnibus reliquis congruenter, intelligatur: utut in rusticano eo artificio, medicina adversus vitium, Elationi affine, puta, impetendi feri-

endiq; libidinem, idonea admodùm efficaxq; ibi conſpiciatur.

SECT. 45.

Sudis *ſignificatio, quæ quibusdam in nomine* σκόλοπος *Latinè exprimendo adhibita fuit, præq; aliis* Tertulliano *hîc frequens eſt, num quadret huic loco.*

QVod *Sudis* appellationem attinet, videri ea ſanè poteſt negotio præſenti non omninò ineptè quadrare: ſi uſum ſpectare libeat proverbii, cúm *Sudes aliquis dicitur eſse alteri in oculis*: uti uſus ejus vulgò quidem hodie obtinuit. Nam ſi rem ita ſpectemus ſimpliciter, absq; Finis & Scopi antè expoſiti intuitu, quid de Angelo Satanæ, qui Paulo additus ſeu adjunctus hîc fuiſse ſignificatur, dici potuiſse videatur verius, quàm eum fuiſſe Sudem item ejus carni, ut Sudes eſse aliquis dici ſolèt oculis cujusdam, cui multò exiſtit inviſiſsimus. At enim diverſum quiddam & quod medicum quendam reſpectum involvat, hîc neceſsariò intelligendum venit, non ſimplex quædam rei inviſæ deſignatio.

Et

Et usus Proverbii illius, ætatis fortè est minoris, quàm ut in Pauli tempora satis congruat. Ego quidem unde exquiri vis eius de Antiquitate possit, hactenus non video: nisi illud agnoscamus ex usu *Vulgati Interpretis* Latini acceptum è Bibliis. Jam ibi autem alium habere ex nativâ sede suâ sensum non potest, quàm locus requirit, antè adductus, *Ios.* XXIII. ℣ 13. Vbi Gentes, temerè in Cananæâ relictæ, dicuntur futuræ populo DEi *Sudes in oculis*: cùm Græci habeant eo loco; βολίδας ἐν ὀφθαλμοῖς, quæ *Num.* XXXIII. ℣. 55. dicuntur σκόλοπες ἐν ὀφθαλμοῖς: quamvis voces Ebrææ ibidem diversæ reperiantur.

Atq; sic quidem de istâ voce nihil hîc esse videri poterat, cur ampliùs laboraremus. Placuit ea tamen in præsente Pauli loco exprimendo admodum, præ aliis Scriptori longè Antiquissimo, *Tertulliano*: ut vel eâ de causâ exquirere lubeat, an ita forsan existat accommoda, ad tropum in eâdem, aut allusionem pro negotio præsenti accommodam ostendendam.

Si de Latinis Auctoribus igitur, vim nominis ejus exquiramus, liquet, genus quoddam armorum rusticorum, *Sudes* olim fuisse quod *Maronis* illud docet, *Æneid.* VII. ℣. 523.

— —*non jam certamine agresti,*
Stipitibus duris agitur, Sudibusq; praustis:
Et *Propertii* eidem geminum, *lib.* IV. *Eleg.* I. Vbi de Romanis, cum agrestes essent, loquitur:

Nec rudis infestis miles radiabat in armis:
Miscebant ustâ praelia nuda Sude.

Clavarum quoq; loco, Veteribus in usu, Sudes erant, in exercitatione ad palum: quod ex *Vegetio* constat, *lib.* I. *c.* XI. *Et lib.* II. *c.* XXIII. Ubi, *Ad palum quoq;, vel Sudibus*, (sic legendum docet *Stevveckius*, cùm vulgo legatur Sudes) *juniores exerceri percommodum est.*

Ritus ille Palariae, uti pugna ea vocari svevit, sic habent: ut pali figerentur in terram, sex pedes alti, ad justam viri staturam, atq; hi pro pugnatium numero. *Ac singulis Tyronibus figebantur singuli,* inquit Vegetius, *ita ut nutare non possent. Sudes deinde illis pro gladiis ligneis, seu clavis erant. Palum, uti dictum est, defixum, cominus sudibus, eminus missilibus, procul ferire meditabantur.* In quam rem id quoq; facit, quod *Iuvenalis Sat. VI.* ait,

— — *Aut quis non vidit vulnera pali,*
Quem cavat assiduis Sudibus, Scutoq; lacessit,
Atq; omnes implet numeros.

Ante ipsam etiam militiam, tam quà in exer-

citio dicto, quàm quà in pugnâ seriâ adhibitæ fuêre, Sudes usum habuisse longè alium, eumq; in rustico cultu tritum notumq;, docet *Maronis* loca illa, ubi nominat, tum quadrifidas Sudes, *Georgicor.* II. ℣. 25. tum Fraxineas, *Eodem*, ℣. 359. quas in pedatione adhibendas docet: ut surculo recens depacto fulcimentum adsit, seu adminiculum, ad altiùs assurgendum, & contrà ventos subsistendum.

Nautis quoq; ferratas Sudes tribuit, & acutâ cuspide contos, *Æneid. V.* ℣. 208. ut illarum in navali pugnâ usus etiam fuisse animadvertatur.

Inter arma præterea ad defensionem oppugnatæ Urbis comportata, Sudes nominantur *Æneid. XI.* ℣. 473.

Perfodiunt alii portas, aut Saxa Sudesq;
Subvectant, &c.

dum studium describitur civium in Urbe, ad defendendam patriam, certatim declaratum. Præterquam scilicet, quôd alii fossas ante portas foderint, alios subvectasse significat, in murum scilicet, Saxa Sudesq;: ad hostem & feriendum & repellendum.

Quî, autem istorum usuum modo ullo aliquo, Sudis nomen, in hac Pauli narratione, videatur accommodatè adhibitum: ut

Ange-

Angelus Satan intelligatur fuiſſe Sudes Carni, parum profectò liquet: ni in illam ſignificationem transferas: ut *Stipitem* Baculumve tantùm deſignet, qui in eum, quem antè diximus, uſum ac finem, alligetur, ſeu appendatur.

SECT. 46.

Palorum uſus, *quantumvis varius alius, nullus hîc æquè locum invenit, ut cùm* appenſus ad Petulantiam & Exilitionem cohibendam *cogitatur*

QVod ſi *Pali* ſignificatio, dum ea in nomine σκόλοπος exprimendo, maximè probatur, de vario alio palorum uſu hic examinetur, atq; an inveniri ex aliquo illorum accommodatio ſatis apta queat, diſpiciatur, puto fruſtrà ſe quoq; fore ſentiet, qui uſus quoscunq; omnes exquiſiverit, & juſtâ ratione pro præſente Scopo, & circumſtantiis reliquis expenderit.

Qui in ſuffigendo, transfigendo, vel affigendo corpore aliquo, vulgatiſsimè notus eſſe videtur, atq; in verbo σκολοπίζειν, Chriſto Salvatori noſtro, â *Luciano, Sophiſtâ blaſphemo,*

mo attributus legitur, cùm *in Dialogo de Morte Peregrini*, eum ἀνασκολοπισμένον σοφιστὴν appellitat, *supplicium* denotat, quo homo interimitur, non *Castigationem*, quâ á vitio abstinetur, atq; ad frugem retrahitur. Qualem hoc loco spectari, mirum est profectò, quòd non perspexerint, viri cæteroquin perspicaces: qui sibi nimiùm placuêre haut pauci, in allusione ad *Transfixionem*, aut *Suffixionem* illam huc accersendâ. Quamvis sic forsan minùs aberrasse á Scopo videri possint, dum volunt dolores cruciatusq;, duntaxat tales notari, quales *Transfixio Suffixioq;* pariat. Quem sensum præ aliis, sui auditorii usibus accommodare studuit, Ecclesiastes p. m. facundissimus Fraustadiensium, *Val. Herbergerus*, in Sermonibus, quos habuit ad funera, singularibus, *parte secundâ num.* XVII.

Nec aliò collimat *Scholiastes ad Germanica Biblia hodie celeberrimus, Daniel Cremerus*: qui Pali appellationem, notanter hîc refert ad vivorum Transfixionem, itemq; ad telum in vulneratione corporis sic infractum, ut vulnus existat immedicabile. Atq; antè istos, *Flacius Illyricus* etiam, in Clave Scripturæ, sub nomine PALUS, *Videtur omnino*, inquit, *Paulus respexisse ad atrox illud, & apud Veteres valde usitatum genus supplicii, quo rei palo infigebantur, inserto per posteriora, & emergente*

per humeros aut Scapulas: quo etiam nunc Turcicos plagiarios in finibus Chriſtiani afficere ſolent. In quo ſi palus non vulneret cor, aut arteriam tracheam, aliquando etiam per biduum aut triduum infixi vivunt. Tale quippiam dirum ſupplicium, ſe circumgeſtare Paulus ibi indicat, &c.

Sed ſi omnino vehementiam cruciatuum notare iſtâ parte talem voluiſset Paulus, quales auctores dicti ſic depingunt; aut quales, *Herbergeri* judicio, *Bladus Dracula, Moldaviæ Princeps*, ante ſesquiſeculum & quod excurrit, in hominum viginti millibus ſuffigendis excitaſse legitur, ad quam ſævitiam, *Chalchocondyla* teſte, *lib. 9 de reb. Turc.* immaniſsimus etiam Turcarum Tyrannus exhorruerit: quî conveniret, κολαφίσματος, ſeu τοῦ κολαφίζειν, hoc eſt, depalmandi tantùm mentionem poſteà fieri? Nimius quidem ille à vehemtiſsimi ſupplicii indicio ſaltus foret, ad leviorem, quæ corrigendi caſtigandiq; cauſâ fiat, offenſam. Saltem id cogitari hîc etiam conveniebat, extremo remedio apud Paulum opus non fuiſse: ubi duntaxat id ſpectabatur, ut ne ſe ob Revelationes ſublimiſsimas illas efferret. Sic fermè nimiam ad exorbitandum proclivitatem in ſacris explicationibus afferre ſolet, Scopi minùs attenta conſideratio, Verbiq; vel unius ſupinior transmiſsio.

Solet præterea *palorum* uſus quoq; eſse, (eſtq; is fortè etiam antiquiſsimus) in claudendis hortis, fulciendis vitibus: unde *Tibull. lib.* I. *eleg.* 7. de Oſiride,

Hic docuit teneram paliś adjungere vitem:

Et *Plin. lib.* XIV. *c.* 3. Nec *orthampelos indiget arbore, aut palis, ipſa ſe ſuſtinens.* Atq; res vulgo notior, quàm ut videri opus ſit (*Colum. lib.* IV. *c.* 33.

Eſt uſus præterea, in agnorum tenerorum curatione, & enutritione primâ: Si *Varronem* audiamus, *Rei Ruſticæ lib. II. cap.* 2. de iis præcipientem: ubi, *Circiter decem dies*, inquit, *cum præterierunt*, (à partu ſcilicet) *palos offigunt, & ad eos alligant libro, aut quâ aliâ re levi, diſtantes: ne toto die curſantes inter ſe teneri, delibent aliquid membrorum.*

Atq; plures iſtiusmodi uſus hîc attingere, ſupervacuum propè fuerit, eum prætertim, quem *Plautus* innuit in *Menachmis Act.* II. *ſc.* 3. ℣. 53. cùm *palum palo proximum* dicit, proverbiali locutione: quam *Turnebus* explicat *lib.* XIIX. *c.* 15. Nam is quidem nihil habet, quod ex pellionis officinâ huc referatur.

In prioribus ſic aliquid eſse forſan poſſet, quod haut paulò meliùs quadraret ad infirmum ab evagatione continendum: ni ſic

aliquid

áliquid hîc ſpectandum veniret, quod vim caſtigatoriam aliquam contrà Elationem in ſe complecteretur. Quod quia in nullo æquè *Pali* uſu deprehendere eſt, ac *cùm appendi cernitur beſtiis*, ut ne tranſiliant ſepta, vel juſto exultantiùs agant: hactenus inde Alluſionem congruentiſsimam ad præſentem Pauli locum, arceſsi, poſt penſitatos in modum prædictum, modos tam illos varios, haut puto temerè judicamus.

SECT. 47.

Ad Palum, ſeu fuſtem beſtiis appendi ſolitum, Lutherus *quoq; atq;* Weſthammerus, *in explicando hoc Pauli loco, digitum intenderunt.*

VIdebamur ſollicitâ meditatione, ac ſic quaſi primi in explicationem hanc nobis deveniſse: cùm nec deſtitimus interim quicquid ad manum nobis eſse potuit de eâdem re Commentationum ampliùs perquirere. Ita verò commodùm comperimus, & *Lutherum*, Superioris Seculi Reformatorem meritiſsimum; & *Bartholomæum Weſthammerum*, Troporum Biblicorum Explanatorem eximium, ab eadem explicandi,

ratione, jam ante seculum abfuisse proximè.

Lutherus, cuius Verba integrè hic subiicere in Lectorum gratiam lubet, *in Enarrationibus Epistolarum Dominicalium, Argentorati editis An.* 1530. habet in hunc modum. *A multis hactenus est hic Stimulus acceptus, pro tentatione carnis. Cuius causa fuit, quod Latinè Stimulum carnis in Vulgatis exemplaribus legerunt. Hæc autem Interpretatio non potest consistere. Carnalem enim tentationem non solet Paulus vocare stimulum: siquidem stimulus sit, quod pungat & affligat. Neq; est hic stimulus Carnis, quo ipsa pungit, sed quo pungitur. Ad hæc Græcum exemplar habet,* σκόλοψ τῇ σαρκί. : *Stimulus carni, id est, Stimulus carni paratus, vel carni appositus: ut ferè sensum eum habere videatur, qui est Proverbii Germanici:* Der Knittel ist dem Hunde an den halß gebunden: *id est, Palus est ligatus à collo Canis. Quo significamus, adjunctum esse, quod hominem affligat, vel contineat. Quasi voluisset Paulus dicere: Quemadmodum solet indomito cani palus ligari à collo; urso circulus includi naso; equo frænum immitti in os; porco distineri palo fauces: ne scilicet vel nimium currãt; mordeãt; ferociãt; aut lasciviant; ita & mihi usu venit, qui habeo in meo corpore stimulum, hoc est, alligatum gravem & molestũ palum: ne ferociam scilicet, aut suprà quam par est*

me

me attollam. *Quid autem hic stimulus sit, ipse explicat, vocans Angelum Satanæ, hoc est, Diabolum, qui ipsum colaphis cadat; h. e. immititer verberet, atq; plagas gravissimas incutiat.* Sic Lutherus.

Westhammerus in Troporum Explicatione, ita Lutheri exegesim illam planè sequitur, ut verba quoq; ipsa nō aliūde videatur accepisse.

Hæc de loco Pauli isto, tam plerisq; omnibus difficili viso, à tantis Viris illis, tam dilucidè inculcata, à tam raris hodie observitata fuisse mirum certè mihi visum est. Sed nimis quàm solemne est multis ad primum quemq; obvium Commentatorem, hærere tanquam ad vadum, neq; vel meditando privatim in sensum, qui maximè Scopo Verbisq; congruat, inquirere, neq; quid alii quicunq; tandem etiam prodiderint, labore debito pervestigare.

Et verò, vel ipsi *Luthero* contigit, ex Opinione, quæ in vulgus sic admodùm de Paulino illo stimulo irroboraverat, ut ejus, quamvis accomodatissimæ explicationis suæ, non fuerit ubivis memor. Nam alibi *Stimulum* eum, seu *Palum*, ad Crucifixionem quandam retulit: uti & *Colaphisationem*, ad nescio quam Excarnificationem.

Audi sis, quid ex *Lutheri* ore oxceperit

G. *Rorarius*, *An.* 1543. atq; deinde *Ioh. Frederus* transſcriptum reliquerit, *in Iſaia loc. cap.* IX Vti *Witeberga* ea Enarratio prodiit *An.* 1546 p. 230. *Habui*, inquit, *tentationes, quales cogitavi neminem in terris habuiſse, & diſputavi cum D. Paulo, (& ad huc delector eâ diſputatione) quid fuerit σκόλοψ, palus, ſeu ſtimulus ille, quo crucifixus eſt, & Colaphus, quo vapulavit à Diabolo. Et fui aliquando tam Superbus, ut putârim, me cum eo poſse hac de re diſputare; aut me tantundem tentationum, tam gravium & multiplicium, ſuſtinuiſse, quantum ipſe ſuſtinuit: (quia Stimulos & Colaphos eos putant fuiſse tentationes deſperationis:) &c.* Et p. 234. ibid. *Paulus 2. Cor. 12. Datus eſt mihi*, inquit, *palus in carnem, angelus Satanæ, qui me colaphizet, q. d. Satan excarnificat, coquit, macerat, aſsat, divexat, & diſcerpit me miſerimè: ſignificans his verbis longè graviſsimas & duriſsimas fuiſse has paſsiones, ſeu tentationes, quibus eſt vexatus, &c.* Sic Lutherus iſtis locis.

Haut tamen putem ego, ratione eâ voluiſſe ipſum retractare, quod anteà ſcripſerat, verbis illis Pauli accomodatius. Potiùs communiorem interpretationem eam ſic ſequi ipſum voluiſse dixero, quam ad captum Auditorii ſui accomodaret, pro tempore: licet ipſe videret de loco eo, ſi accuratè expendatur,

tur, aliter pronunciari poſse. Quod ſanè non obſcurè etiam innuit, dum verba in parentheſi illa interſeruit, *quia Stimulos & Colaphos eos putant fuiſse tentationes deſperationis.*

Libet igitur nobis in eo hîc magis acquieſcere cum Luthero, quod aſseveratiùs, *in Poſtillâ*, quam vocant, ſcripſit: quàm ut illud præferendum cenſeamus, quod alibi ex eo protulit, quod vulgò aliqui putant ſtimulos & colaphos illos fuiſse: de quibus ipſis ſuo etiam poſteà loco docebitur explicatiùs.

SECT. 48.

Ex Chaldaiſmo *indicatur etiamnum aliquid, per quod* σκόλοψ τῇ σαρκὶ *multò omnium planiſſimè explicabitur: puta, ſi verbo iſto denotari dicatur*

Præfectus Caſtigator, *quaſi cum* Stimulo, Sude, Palove, Carni, ad abſterrendum ab Elatione, ſeu Gloriatione temerariâ, appoſitus.

HAc iſtâ tamen explicandi ratione, cùm probabilius aut congruentius quiddam vix inveniri poſse arbitrarer: ſubiit animo de *Targumicis* loquendi rationibus, dictionem iſtam [ſeu *Stimuli*, ſeu *Aculei*, ſeu *Pali*, etiamnum exquirere: atq;

an inde forsan, ad maiorem rei illustrationem peti aliquid posit, dispicere. Nempe animo id recurrebat, Christū ipsum, Apostolosq; haut pauca inde accepta retinuisse, & usui Sacro porrò accommodasse: uti ostensum atiam à nobis est sigillatim in explicato *Sinu Abrahæ, Secti. 5.*

Vbi sic igitur de re eâ ulteriùs video, nomenq; illud ipsum, quo Vulgatus Interpres est usus, de Chaldaicâ, quæ illi responderet, dictione, exquiro, oggesit sese commodùm, significatio, seu usus nominis ejus, qui huc facere omnem in modum, maximè appositissimeq; potest.

Nimirum vox *Darban*, quæ Hebraicè *Stimulum*; *Aculeumve* notat, & 1. *Sam*: XIII. ℣. 21. proprio sensu obvenit, (unde & apud LXX. redditur βούκεντρον, quo sensu etiam per comparationem adhibetur *Eccl.* XII. ℣. 11.) Chaldaico usu, non *Stimulum* tantùm denotat, vel *Aculeum*: Sed eo quoq; translata reperitur, ut per tropum quendam adhibeatur ad designandum *Gubernatorem*, *Præsidem*, *Præfectum*, *Magnatem*: atq; sic etiam *Castigatorem*, *Animadversorem*, *Correctorem*, *Vexatoremve* significet. Videre id est ex locis, ubi in Targumicis vox ea occurrit: ut *Proverb.* IIX. ℣. 16. ubi in Ebræo Principes,

cipes, Iudicesq; nominantur, quorum scilicet est punire ac judicare: apud LXX. μεγιστᾶνες καὶ Τύραννοι: (quamvis hîc *Veneta* Targumi editio nonnihil variet à *Regiâ*;) *Iobi item* XXXV. ℣, 9: ubi in Ebræo hominantur fortes seu prævalentes; apud LXX. itidem τύραννοι. Sic *Iob*. XXXIV. ℣. 20. Et *Psal*. XXXI ℣. 24. Etiam *Darbonain*, Custodes, Observatores Januarum & atriorum vocantur: ut annotavit *Buxtorffius* ex *Bechor. fol*. 8. 2. quæ vox & ipsa originem planam habet ex illâ, quâ Stimulus notatur.

Et, quod in eâ voce explicandâ, quasi Synonymum nomen, in Aruch. h. e. Chaldaicarum seu Targumicarum vocum explicatione, illi additur, *Malmad*, ad significationem, *Erudiendi*, *Castigandiq;* nos deducit: quippe id cùm Stimulum denotet, deducitur tamen à verbo *Lamad*, quod docere significat, adeoq; in Stimulo aliquid ad docendum castigandumq; accommodatum significat: id, quod Lexicographi quoq; pluribus monent.

Sic usu Chaldaico Stimuli Aculeive nomen eo traductum reperitur, ut *Stimulatorem*, *Punctoremve* denotet, adeoq; Personæ accommodetur, quæ *Stimulo*, *Aculeove*, seu *Sude etiam*, vel *Palo*, coerceat, atq; sic Castigatoris severioris munere fungatur.

Atq;

Atq; ita quidem Chaldaico usu hæc Significatio in voce *Darban*, & similibus, inusitata non fuit: ut *Melach Mabesch, veschuton magnèk*, hoc est, Regis malefacientis, Principisq; tribulantis nomen etiam contrà reposuerint, ubi apud Lxx. nominatur σκόλοψ πικρίας & ἄκανθα ὀδύνης: *Ezechielis* nimirum xxviii. ℣. 24.

Quod à Chaldæis mirificè fieri, fortè non scripsisset, ad hunc Pauli locum, Clarissimus *Heinsius*: si vel id ex adverso factum animadvertisset esse, quod de voce *Darban* monuimus: vel rem ipsam magis, quàm voces in *Ezechielis* loco expendisset. Neq; n. mirificum adeò est, si Paraphrastes pro voce tropicâ, reponat propriam; ut evidens est isto loco à Targumistis factum esse.

Sed id nostro proposito uti accommodari possit potiùs videbimus.

Ausim igitur τοῦ σκόλοπος nomen in hoc Paulino Textu, (re ac negotio ipso, sic, si non prorsus exigente, saltem congruentissimè admittente; verbo autem eo, sine durâ, aut inusitatâ aliquâ translatione commodùm ferente; reliquis deniq;, quæ sequuntur, in eâdem narratione, idipsum propè postulantibus, si omnia inter se satis consentanea, scopoq; accomodata esse debeant:) accipere ad eum

modum,

modum, ut illi Chaldæorum DARBAN, hoc eſt, Stimulo ſeu Aculeo, æquivaleat: Et ſic per translationem notet, *Caſtigatorem, Animadverſorem*, ſeu quendam quaſi cum *Stimulo, Aculeo, Sude* vel *Palo* ad pungendum plectendumq; paratum & præfectum.

Verba τῇ σαρκὶ adduntur, uti ex antecedentibus conſtare quoq; poteſt, in eum finem, ut Adſtes ille, carni, in Elationem proclivi, coercendæ, ſeu à jactantiá abſterrendæ, velut Judex atq; Executor quidam, præfectus intelligatur.

Tranſlatio illiusmodi in nominibus ejus & cenſus & ſenſus, tum alibi in Sacris literis, ſi Chaldaica ſpectentur; tum in aliis quoq; linguis ignota eſse eruditis non poteſt.

Apud Jeremiam primo capite, notum eſt ut Prophetæ oſtendatur *Virga vigilans*, ſeu velut ad percutiendum porrecta & protenſa. In Ebræo ibi nomen eſt *Makkel*, quod *Baculum* aliàs ſignificat, prouti etiam Latinum *Baculi* nomen exinde originem ſuam duxiſse videtur, cùm literæ M mutatio in aliis quoq; lingvarum traductionibus non infrequens exiſtat, ut *Angelus Caninius* eruditè oſtendit. Id nomen Chaldæus Interpres, vi ſenſus figurati, ad perſonam transferre eodem loco auſus eſt: Nempe reddidit, *Regem*

Regem festinantem ad malefaciendum.

Adeò jam illi etiam Interpreti, Ebræum nomen, *Makkel*, in figuratum sensum accipere libuit, ex usu utiq; in vulgus Ebræorum tum non ignoto.

In aliis porrò Lingvis, Græcâ cumprimis, nôrunt eruditi, quos dicere μάστιγας soleamus, cùm nomen illud flagellum propriè significet. Zoilum *Galenus Therapeut*: *lib.* 1. ὁμήρου μάστιγα appellat: quòd versuum cavillatione, quasi flagellatione quapiam, ipsum exercuerit. Unde vulgò quoq; in usum venit, ut nominetur ὁμηρομάστιξ. Sic nihil forsan prohibebit, Angelum Satanæ illum, seu Satan, vocare, Παυλοσκόλοπα seu Παυλομάστιγα.

Attila, Hunnorum Rex, pari translatione, non tantùm *Malleum universi orbis*, sese nominavit: Sed id quoq; titulo suo adjici curavit, cùm ab Eremita quodam sic vocatus esset, ut diceretur, *Flagellum DEI*: uti apud *Nic. Olahum* refertur *lib.* 6. apud *Bonfin.* Et *Naucler. Generat*: 16. Quod eo sensu factum esse per se liquet: ut intelligeretur, flagelli instar à DEo, ad plectendos & puniendos ejus ævi homines, usurpatus.

Hæc quidem vocis acceptio sic Scopo bene convenit; Angelo Satan, aptá & evidenti ratione tribuitur; reliquis etiam, quæ

nunc

nunc porrò excutienda sequuntur, ita consentit: ut nihil planè videam, quod usquam vel minimâ parte discordet.

Atq; hoc est, quod supra innuebam, sectione præsertim 27. sub finem: posse nempe per analysin convenientem, omnia sic etiam referri, ad *Coercitoris* respectum: uti isthîc quidem docuimus ad Alexipharmaci, seu Prophylactici appellationem, omnia reducere.

Qui σκόλοπος nomen, vel per *flagellum* reddidêre seu exposuêre Commentatores, illi suos, quos habent asseclas, vix patientur etiam, nostræ huic interpretationi contradicere. Jam suprà autem *sect.* 1. *Fabri.* mentio facta est, ubi *Flagellum* hic nominat, quod Vulgatus Interpres, Stimulum dixit. *Ferulæ* appellationem *Calvinus* huc accomodat, cùm in Commentariis scribit: *DEus cohibere volens omnem in Paulo insolentiam*, ferulâ *eum domuit*. Ferulam *hanc Stimulum vocat, metaphora à bobus sumptâ*. *Suidas*, de Rege quodam refert, qui in Tenedo, *ad judicia tantò sanctiùs agenda*, legem tulerit, ut homo, securim tenens, à tergo Iudicis, vel potiùs (ut narratio apud eũdem alia habet) à tergo ejus, qui alteri objectaret crimina, cõsisteret, eũq;, si mendacii convinceretur, confestim feriret.

Qui

Qui homo, cùm perterrificus extiterit illi, qui coram Judice, seu criminari alium auderet, seu testimonium esset dicturus, factum est, ut in Proverbium inde abierit, appellatio *Tenedii Hominis*: ut nomen istud adhibeatur, cùm quispiam denotatur ad exterrendum valdè esse comparatus: de quo videri potest *in Adagiis Erasmus*.

Cum Homine ejusmodi Tenedio, perquam convenienter comparare *Angelum hunc Satanæ* licebit, qui Paulo additus seu appositus hîc fuisse significatur. Vti enim *Tenedius ille*, dicturum in judicio prohibere prætensâ securi suâ, potuit, ne crimen alteri falsum intentaret; testimoniumve promeret commentitium: ita *hic Angelus Satanæ* item, cùm velut Palus, Sudes, Stimulusve ad castigandum præsentaneus esset, vehementer absterrere Paulum potuit quoq;, ut ne sese efferret, vel de Revelationib⁹ sublimibus illis usquam jactaret.

Propè abfuisse hîc videtur ab eo, ut ad explicationem eandem pertingeret, *Sebastianus Barradius Iesuita, Theologus Olisiponensis*, cùm in *Comment. in Concord. & Histor. Evangelist. Tom. 2. lib. 2. c. 8.* Stimuli nomen sic reddidit hoc loco, ut *Stimulatorem* vocet Angelum Satanæ.

Inquit

Inquit enim, *Sensus Pauli hic erit*, Datus est mihi Stimulus carnis, Angelus Satanæ: id est, *datus est mihi Stimulator carnis meæ, Angelus Satanæ*: Græcè *Carni meæ.*

Quâ ratione attigit sanè, quod in verbis agnoscendum venit, ut rectè satis congruenterq; accipiantur, licet interim eò non planè penetrârit, quod vi verborum sic redditorum, intelligi poterat, & nostro judicio, debebat.

SECT. 49.

Quâ ratione, quæcunq; Translatio nominis σκόλοψ, *accommodatè ad præsens negotium explicari possit: si præcedens Interpretatio minùs fortè alicui placeat.*

QVod si cui, nec prior illa, de *Palo, Ropalove appenso*; nec altera hæc, de *Præfecto rigidiore quodam, pro coercendâ seu abstergendâ carne addito*, Explicatio, satis probari potest: (quamquã sic ad rẽ & verba, existat, illa popularibus; hæc verò Eruditorum etiam auribus atq; animis accommodatissima:) poterit generalior forsan explicandi ratio illi satisfacere: quam perspexisse talem etiam mihi videor: ut quadrare ex æquo propemo-

dùm queat, quibusvis illis interpretationibus, quibus nomen, σκόλοψ, redditum videmus: puta, sive *Stimulus*, sive *Surculus*, sive *Aculeus*, sive *Spina*, sive *Assula*; seu *Sudes*, seu *Palus*, seu *Flagellum*, seu *Fustis*, seu *Baculus*, seu *Ropalum*, seu ejus generis aliud quiddam dicatur.

Nempe nullus hîc proprius usus; nullus, qui actu ipso cernatur casus, in rebus illis spectari judicandus fuerit: sed id generatim tantùm, *quòd res sic notentur tales, ad quas offendi facilè graviterq; queas, seu per te in illarum aliquam impingas improvidus: seu ab alio eadem adversum te, casu certo moveantur.*

Sic igitur, dum Angelus Satanæ dicitur σκόλοψ τῇ σαρκὶ, (hoc est, seu Stimulus, seu Surculus, seu Spina, seu Assula, seu Aculeus, seu Sudes, seu Palus, aut simile quiddam,) cogitandum fuerit, eum conferri, seu cum Stimulo, in eum sensum accepto, quo *Chalinus* servus, *apud Plautum in Casinâ*, se dicit esse Stimulum *Stalinoni*, hoc est, offendiculi loco; seu cum re affini consimilive aliquá, ad quam offendere Paulus facilè graviterq; posset; aut quæ ipsum dicto modo, nisi sollicitè sibi caveret, atq; temperaret, offensura omninò esset.

Offensaculum porrò istud, qualicunq; tandem

dē nomine exprimatur, τῇ σαρκὶ, h. e. *Carni positum* intelligere necesse erit: non in eū sensū, quē vult Interpretatio illa, cùm *Surculus carni* dicitur *infixus*; vel *Palus carni impactus*; vel aliquid *in carne inditū*, (ut visū est *Cameroni*:) vel aliud quiddam, ejusmodi in modum, ad carnem comparatum, ut Carni dolorificum quippiam jam accidisse seu inhærere notetur: Sed ita tantùm res accipienda fuerit: ut *Carni hinc periculum fuisse innuatur*, *læsionis cujusdam gravioris*, ni cautè foret actum, periculumq; illud providè declinaretur.

Et verò omnem in modum hîc minuenda est opinio illa, quâ vulgò putatur, ad Dolores & Cruciatus acerbissimos, vel immanissimos quosdam, figurandos, fieri mentio seu Surculi, seu Pali, seu acutioris Spinæ: quod plerisq; omnibus hactenus est visum, ac tantùm non generatim etiam asseveratum, tum à *Strigelio in Explicationibus Dominicalibus*, cùm scripsit, eam appellationem σκόλοπος significare summam acerbitatem tentationum; *tum a Camerone*, cùm dixit, haut dubiè afflictionis genus quoddam pænè intolerandum hîc describi: ut suprà *sect.* 8. ejus verba adduximus.

Non isto fine, ut sic summus Dolor aliquis omnino notetur, seu tanquam præsens

significetur, σκόλοπος fit mentio: sed ut *Periculum proclive & grave* figuretur, ac velut ob oculos ponatur: quod ex adjuncto Satanæ Angelo Carni in provinquo sit, seu velut immineat, nisi providè caveatur. Prouti scilicet periculum tale esse animadvertitur, ubi *Surculus*, *Aculeus*, *Spina*, *Assula*, in proximo sita sunt incedenti; ubi *Sudes*, *Palus*, *Flagellum*, *Stimulusve*, vel quippiam istis affine, velut apparatum & porrectum cernitur, si quis dum cautè agere queat ac debeat, minùs sese providè gerat, ac sese ab impingendo contineat.

Breviter, sic Satanæ Angelus additus Paulo intelligi potest fuisse, vel tanquam *Stimulus* carni castigando apparatus (de quâ stimuli significatione suprà monitum est:) vel tanquam præsentaneum, seu ad latus appositum *peracutum aliquod*, quocunq; tandem nomine denotetur, *Offensaculum*, gravem Carni ictum daturum, nisi sollicitè caveret, sibiq; ab Elatione omni ob divinas Revelationes temperaret.

Qualis porrò ictus ille futurus esset, ex sequentibus deinceps explicatiùs intelligendum veniet.

Hæc addere hîc libuit: ut ne Lectori accuratæ Explicationis cupido, & ad eas, quæ præ-

præmissæ sunt, fortè nauseaturo, in omnem modum non consulamus: maximè si pro usu populari quàm minimùm recedere libeat à verbo, quo forsan in suo aliquis idiomate nomen, σκόλοψ, redditum offendit.

Sic quidem modus puto, patere aliquis potest, quo Translatio quævis, ratione nominis, σκόλοψ, non ineptè ad rem propositam accomodari à considerato scripturarum tractatore queat. Quamvis cur jure aversetur quispiam Interpretationum priorum illarum alterutram, (quas proximè præmisimus,) vix videamus.

Illa quidem, quæ per σκόλοπα τῇ σαρκὶ *Rigidiorem Præfectum* & quasi *Castigatorem Carni adjunctum* docet intelligendum esse, vel ex sequentibus, ubi *colaphisandi* mentio mox fit, lucem etiam accipiet; utne dicam Angelo Satanæ id maximè congruere, ut talis præfectus dici, seu cum eo comparari, statuatur, qui per tyrannidem, seu cum tyrannide præsit, atq; à *Stimuli, Sudis, Palive* usu, quem cupidissimè exerceat, (si licentia modò detur,) nomen ipsum ejusmodi instrumenti reportare queat, seu mereatur.

SECT. 50.

Quid sibi velit, quòd Paulus dicit non simpliciter, σκόλοψ σαρκὶ, sed τῇ σαρκί.

ILlud hîc transmittendum supinè etiamnum minimè videtur, quòd Paulus, dum σκόλοπα nominat, non addiderit simpliciter, σαρκὶ, sed τῇ σαρκὶ: quasi definitim *Carnem* notare, aut ostendere *certam aliquam vellet.*

Quin igitur suam ipsius Carnem sic respiciat, atq; ad eam velut digitum intendat, dubitandum non est.

Voluit nempe hac loquendi ratione, non obscurè de Se quoq; fateri, quàm carnis indolem in se experiretur, perinde scilicet atq; in aliis ad commune illud vitium nimis proclivem: ut ubi contigit aliquid beneficio DEi præ aliis singulare atq; eximium, de eo efferre sese, ac jactitando præferre aliis gaudeat.

Neq; absurdum etiam fuerit, Carnem sic definitè cùm articulo hîc, ubi de *Elationis Iactationisq;* negotio agitur, designatam, referri ad *Linguam*, ad *Labia*, ad *Buccas* potissimùm, quibus ad *Elationem* & *Iactationem* ob Revelationes illas divinas, præcipuè propriè ve abuti Paulus poterat: ut illi signatè Carni σκόλοψ, seu offensaculum oppositum intelligatur, quæ delinquere in negotio isto proclivissimè poterat.

Ad-

Ad iſtas carnis partes, *Carnis* nomen ibi ſanè potiſsimùm etiam ſeſe refert: cùm *Cor* & *Caro* exultatura dicuntur ad DEum vivum, *Pſal.* LXXIV. ℣. 3. Nam verbum *Jerannenu*, quod iſthîc legitur, vim eam habet, ut ad *Linguam, Labia, Buccas* propriè ſeſe referat: Siquidem *Ranan*, eſt *Canere, Cantare, Cantillare, Exclamare, Acclamare.*

Lingva, ſermonis inſtrumentum, eſt volubilis illa caruncula in medio oris, (ut definit eam *Illyricus in Clavi*) quæ maximè in hoc morbi genere, de cuius Prophylactico hîc agitur ſpectanda venit. Ea ob contemtum aliorum protrahi dicitur, ſeu prolongari *Eſ.* LVII. ℣. 4. Ea flagellatrix eſse ſignificatur aliorum *Iob.* V. ℣. 20. Ea acui ut gladius, quandoq; commemoratur, *Pſal.* LXIV. ℣ 4. Vt *Remedium* illi *acutum*, ſeu *terriculum* aliquod *aculeatum*, opponi, perquam ſit congruum.

Vti quidem ad partes, quæ Linguæ in delinquendo dictâ ratione ſolent eſse ſociæ, id ſeſe referat etiam, ex iis, quæ porrò explicanda veniunt, intelligi ampliùs quoq; poterit.

SECT. 51.

Quæ propria prophylactici illius, *seu* Coercitoris atq; Castigatoris, *Apostolo adhibiti* operatio *extiterit* : *intra quem* modum *restricta*, *& ad quem* finem casumq; *directa*.

SAtis sic puto planè constat, *qualis* hîc *Persona* Paulo adjūcta fuisse significetur, qualemq; in *Finē* ac *Usum* sic generatim eidem illa, divino consilio, addita fuerit.

Non ita tamen addita eadem Persona Apostolo fuisse significatur, ut cum malignæ illa indolis, infestiq; cæteroquin in ipsum animi extiterit (ni sensum illum in appellatione Angeli Satan alterum sequi libeat, quem *sectione 38*. innuimus) actus adversus eundem cujusvis exercendi licentiam habuerit, pro lubitu & arbitrio suo : sed ut *certi tantùm actus exercendi*, *jus concessum fuerit*, in *Finem omninò definitum directi*, *sunmq; intra Modum restricti*: mandato districtim illorsum attemperato, ut magis per terrorem actus illiusmodi intentati, quàm per ipsum actum eum, fortuitò, vel tumultuariè exsertum, ab Elatione, seu temerariâ gloriatione, Apostolus prohiberetur.

Quod Paulus significat, cùm non simpli-

pliciter datum ſeu additum ſibi Angelum Satan ait, qui quaſi σκόλοψ exiſtat τῇ σαρκὶ: ſed & addit continuè, ἵνα με κολαφίζῃ· ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι: *Vt me colaphis cedat; ut ne efferar.*

Definitè adeò licentia Angelo illi adverſum Paulum data fuit, ut eum colaphizaret, ſeu potiùs, ut verbum Græcum temporis ratione ſonat, colaphizet: neq; id quouis *Caſu*, ſed tantùm in eum *Finem*, ne *ſe efferret*.

Scholia Græca id ſanè preſsiùs obſervandum hîc monent, non dici κολαφίσῃ, ut res quaſi ad præteritum referri videatur: ſed κολαφίζῃ, ut præſens innuatur. Sed in eo tantùm eſſe non ſitum putem: dum *Modi* ratio modò rectè perſpiciatur, & huc accommodetur: de quo poſteà videbimus.

Res ipſa quidem tota planiùs intelligi poterit, Maligni Spiritus reſpectu, ſi cogitemus, Satanam ſeu Diabolum, ubi Paulum in Apoſtolorum numerum adſcitum, atq; jam tantis etiam Revelationibus dotatum, videret, ſimile quiddam circa eum expetiviſse: ac Chriſtus eundem etiam expetiviſse, ſeu rationibus velut adductis quæſiviſse, circa Apoſtolos reliquos refert, *Luc.* XXII. ℣. 31. Cùm inquit: Ἰδοὺ ὁ Σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι, ὡς τὸν σῖτον. Dicit ἐξῃτήσατο ut innuat, ceu jure eum egiſse, & rationibus urſiſse, ut ſibi liceret cir-

ca eos agere. Quid vero? σινιάσαι, hoc eſt, *cribrare*, eos, quaſi *repurgandi cauſâ, & ut paleæ, ſeu qui palearum inſtar inter Apoſtolos forent, excuterentur.*

Uti circa Jobum petiit licentiam, eum graviter tentandi, deq; Pietate ac Conſtantiâ explorandi: ita hîc voluit, ut Apoſtolos *cribrare* liceret, ſeu *ventilare*, h. e. tali tentatione aliquâ adoriri, per quam concuterentur atq; projectarentur, uti grana paleis miſta ſolent: ut appareret *granorumne proborum* inſtar omnes habituri eſsent, an aliqui *palearum* modo difflari, & à Chriſto ſeparari poſsint. Videtur velut reſpexiſse in verbo cribrandi, ad id, quod Baptiſtes de Ventilabro, intimârat, *Matth*. III. ℣. 12. quod in manu eſset ejus, qui baptizaturus erat Spiritu Sancto & Igni: quem diſertè ajebat, *permundaturum aream ſuam, & congregaturum triticum in horreum ſuum, paleas autem combuſturum igni inexſtinguibili.*

Quâ ratione petitum illud ſuum, velut juris prætextu quodam munire, vaferrimus Spiritus viſus eſt, dum *Cribrandi* verbum adhibuit.

Atq; arreptâ qualiquali in fidelibus occaſione, adverſum eos moliri aliquid ſatagit; Ἀντιδίκου hoc eſt, *Actoris*, ſeu *jure contra aliquem diſceptantis* in morem: quo nomine etiam haut

teme-

temerè inſignitur apud *Petrum* 1. *Epl.c.*v. ℣.8. Prouti quoq; κατήγορος τῶν ἀδελφῶν, h. e. *Accuſator fratrum ſeu fidelium*, vocatur *Apocal.* XII. ℣. 10. qui quaſi in foro Poli contra fideles, fratrum more ac nomine conjunctos, agat.

Et verò cauſa quoq; adverſus homines, fideles præſertim ac DEo gratos, cur κατήγορος, cur ἀντίδικος contrá illos eſse cupiat, ſeu affectet, perpetua ſuppetere ex eo illi videtur: quòd ſeſe cum ſuá cohorte de cœleſti aulá exturbato, videt, iam hominibus illas beatas ſedes apud DEum ceſsuras. Quod ut invidet humano generi, adeoq; invitiſsimus fert, ad effectum perduci debere: ita hominibus, fidelibus præſertim, tanquam ejus, ex quâ ipſe exciderat, apud DEum dignitatis atq; gloriæ candidatis, quàm maximè adverſatur.

Neq; id tantùm molitur, uti eos à viá ſeducat, per quam ingredi in cœleſte regnum ipſis DEi benignitate atq; gratiá liceat: ſed apud DEum quoq;, quicquid poteſt prætextu juris vel minimo, contrà eos machinatur, eâq; ratione licentiam adverſus eos ſeu vexandos, ſeu interimendos, haut rarò ſibi dari contendit.

Tale igitur quidpiam contrá Paulum etiam molitus Satanas, non impetravit, quod voluit: uti nec circa Apoſtolos cæteros; nec

olim

olim circa Jobum: Sed id tantùm, per Sapientiſsimam DEi Permiſsionem & Directionem obtinuit: ut licentiam haberet, ex Angelis ſuis, (quales illi eſse complures ſignificantur *Matt.* xxv. ℣. 41.) ſubornare aliquem, tanquam Adſtitem ſeu Comitem, vel potiùs Inſectatorem futurum, qui obſervaret, an *Caſus* ſic aliquando ferret, ut ſeſe Apoſtolus fortè ob Revelationes ſibi factas efferret, quiq; tum jus haberet, aliquid ipſi mali afferendi ſeu infligendi.

Quod ipſum DEus, per benignam moderationem ſuam, præpotentemq; hoſtilis inſectationis conſtrictionem, gravius etiam aliquid eſse noluit, quàm κολάφισμα, ſeu *Alapam*: quò præſens *pœna delicto accommodata, atq; ſecundum etiam humanum modum attemperata* eſset. Efferre enim ſeſe Apoſtolus potiſsimùm deprehenſus fuiſset, ſi ſeſe ob ſuas illas Revelationes diviniſsimas, gloriando aliis Apoſtolis prætuliſset, aut de illis profuſiore ore jactitaſset. Jam *Ore* ſic *Buccáq;* peccaſset. Pœna igitur parata quoq; erat futura, peccato illi coercendo & caſtigando accomoda atq; attemperata: ſi Angelus ille Satan Colaphum ipſi infligeret.

SECT. 52.

Τὸ κολαφίζειν *quid propriè ſit, & in* qualibus delictis *uſum habuerit.*

NOtum quid κόλαφος dicatur, unde verbum effectum eſt, κολαφίζειν: *plaga* nimirum, *quæ palmâ in maxillam alicuius incutitur*: Vtq; Etymologicum Græcum exponit, ἡ διδομένη διὰ τῶν μέσων δακτύλων πληγή, ſeu, ut κολάφισμα in *Veteri Lexico* exponitur, τὸ διὰ κοίλης ἀφῆς ῥάπισμα.

Exempla autem vel in ſacris ſuppetunt, ubi pœnæ huiusmodi inferendæ licentia miniſtris, ſeu *Exactoribus* (ὑπηρέταις) fuiſse intelligatur, ſi quid ore procaci viſum fuit in judicio peccari. Vide ipſi Chriſto, cùm talis delicti inſimularetur, quid acciderit, *Ioh.* XIIX. ℣. 22: Et Paulo *Actorum* XXIII. ℣. 2.

Vbi lectorem id nihil interturbare debet, quod ῥαπίσματος potiùs fiat in locis illis mentio, quàm *colaphi*. Neq; enim tantum didiſtant κόλαφος & ῥάπισμα, ut non ſæpè planè idem ſignificent. Quòd in *Heſychio* apparet, ubi κολαφιζόμενος exponitur, per ῥαπιζόμενος. Sic *Suidæ*, τὸ ῥαπίσαι, eſt πατάξαι τὴν γνάθον ἁπλῇ τῇ χειρί, ὃ λέγουσι καὶ ἐπὶ κόρρης ſcilicet πατάξαι. Ῥαπίσαι, eſt maxillam explicatâ manu percutére, alapas impingere: quod dicunt etiam ad genam verberare.

Denotatur ſic partialis, ſeu certæ tantùm partis percuſsio: cui opponitur ὁλοσώματος πληγὴ, quæ apud *Nizephorum* alicubi ita nominatur: hoc eſt, *plaga totum corpus afficiens.*

Neq; pœnam etiam mendacio aliam æquè, ac colaphum deputat, ex vetuſtate illud hodieq; tritum verbum, quo *mendacium colapho penſandum* dicitur: quod proverbium Germanis quoq; eſse uſitatiſsimum, nemo credo Germanorum ignorat.

De *Charilo* poëta quodam, Alexandri M. temporibus ſcriptitante verſus (quorum, tanquam incultorum & malè natorum *Horatius* meminit, *Epiſtolarum lib.* 2.) ſunt qui tradant, Alexandrum hac cum ipſo lege pepigiſſe; ut pro ſingulis bonis verſibus, ſingulos Philippæos acciperet; pro ſingulis autem malis, ſingulos colaphos. Quod pœnæ genus, peccato ſic quodammodo attemperatum, ſubire ille ex pacto poſteà neceſse habuerit: cùm opere toto tandem recenſito, vix Septem, qui probarentur fuerint deprehenſi.

In quodam apud *Quintilianum* joco, *lib. VI. c.* 3. legimus: *Colaphum tibi ducam, & formulam ſcribam, quòd durum habeas caput.* Cui gemina eſt loquendi ratio, quæ in jure occurrit, *l.* 4. *ff. de Injuriis*: *Si cum ſervo pugnum duce-*

ducere vellem, in proximo astantem percusserim.

Inde apparet, in qualibusqualibus delictis, pœnæ, seu Castigationis servilis, ejusq; festinæ, atq; quasi extemporaneæ, genus quoddam *Colaphum* seu Alapam fuisse: ut delinquenti ab astante in propinquo, duceretur seu infringeretur.

Et vide, si lubet, apud *Terentium in Adelph. Act. 2. sc. 1.* Vbi Æschinus Parmenoni præcipit: quò ad festinam Castigationem Sannionis paratus sit: *(moveas tuos,*

Cave nunc jam oculos à meis oculis quicquã di-
Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuò
in malâ hæreat.

Occurrit præterea usus apud Veteres *Alaparum, Colaphismatumve* varius alius: ut in mimis, qui in theatralibus spectaculis, cùm dabantur, alios mimos, ad risum excitandum, alapis cædere solebant. Quo refert *Turnebus* id, quod apud *Martialem* legitur *lib. V. Epigr. 62.*

O quam dignus eras alapis Mariane Latini,
Te successurum credo ego Panniculo.

Quo spectat quoq; *Tertulliani* illud, cùm scribit: *Insuper contumeliis* alaparum *sic objicit, quasi de præcepto Domini ludat.*

Nec aliò se referunt, quas *Iuvenalis* nominat *Sat. VIII. Mamercorum* alapas: qui ut

Isaacus

Isaacus Grangæus explicat, sipario locati, Scurrarum personam agebant, & alapis cedebantur, populo ipso ridente.

De qualibus etiam *Plautus in Captivis Act.* 1. *sc.* 1. *Et quidem hercle, nisi qui colaphos perpeti potest Parasitus.*

Et *Sidonius Apollinaris, lib.* 3. *de Epl.* XIII: Ubi de Gnatone quodam; *Si quid è raptis*, inquit, *inter alaparum procellas, præmisit obsoniis.*

Quas item *Quintilianus Declā* CCXCVIII. notat: ubi, *Multa*, inquit, *video genera diversa vitæ, nec probabilia omnia. Cæterùm tamen hoc novum est, & inauditum, contumelias in quæstu habere: & injuriâ pasci: &c.*

Cujus generis fuêre quoq;, quos *Festus* Flagratores dictos esse docet, qui mercede flagris cædi se permittebant.

In usus *alaparum* cùm nihil ad propositum nostrum spectare videri possit, huc tamen facit, ut quantum propudii, contumeliæve in percussione tali à sanioribus quibusq; statutum sit, agnoscatur: siq; probiùs æstimetur, quantoperè Paulus ab Elatione absterreri hacce pœna potuerit.

Fuit *Colaphorum* seu *alaparum*, usus olim aliquis etiam in manumissionibus: de quo *Claudianus Consulatu IV. Honorii*, (*recedit Tristis conditio* (servitutis nimiū *pulsata frōte*

In

In civem, rubuêre genæ, tergoq; removit
Verbera, promissi felix injuria voti. Et rapismata vocabantur *in XII tabl:* fitq; eorum mentio *l. ult. C. de Emancip. lib. & Novella LXXXI.* Estq; eorundem in Christianismum aliquis etiam usus olim inductus: de quo videri potest Læl. *Bisciola Horar. Subcisiv. lib. X. c.* 15.

Sed ista *alaparum* ratio huc minimùm fortè fecerit.

In Injuriis uti *alapæ*, seu *colaphi*, aliàs numerari soleant, nihil opus quoq; est attexere: quo respectu Christus percussionum talium patienter & sine vindicatione ferendarum meminit. *Matth.* v. ℣. 39.

Hoc quidem loco, quicquid aliorum judicio ab injuriis huc accersendum videatur, id potissimùm respiciendum est, quod in Castigationibus pœnisve locum habet. Inter quas τὸ κολαφίζεσθαι referri solere, cùm ex Historiá Veteri, tùm ex Usu hodierno satis est notũ. Et multò evidentissimè id patet ex eo, quod 1. *Pet. II.* ℣. 20. *legitur.* Id puto juxtà oppidò clarum notumq; est, *ad delicta, quæ Ore Linguâve committantur*, hoc genus plectendi quasi per naturam esse comparatum.

De *Mendacio* saltem, ac Procatitate res plusquam nota est, compescendis iis atq;

corrigendis, *colaphiſma* congruere.

De Iactantia autem atq; *Elatione*, quæ hîc potiſsimùm nobis ſpectanda venit, neſcio an illud nobis, ſimilis pœnæ congruentiam non quodammodo oggerat, quod in *Gloſſario Veteri*, quod *Bonaventura Vulcanius* edidit, *Alapator*, per καυχητὴς, explicatus reperiatur: quaſi ſcilicet, alapis ſuſcipiendis atq; ſuſtinendis maximè obnoxium eſse eum deceat, qui jactator ſui gloriabundus exiſtat. Quæ quidem alia convenientior ejus interpretationis ratio afferri poſsit, vix ſanè video: utut afferri varias alias poſse per me etiam ſatis videam.

SECT. 53.

Quo modo τὸ κολαφίζειν *hîc circa Paulum uſuvenire potuiſse videatur, dum Angelus Satan executor fuiſse ſignificatur.*

QVi autem κολαφισμάτων modus, dum Spiritus Executor illorum ſeu Exactor fuiſse ſignificatur, hîc intelligendus ſit, non auſim quidem planè definire.

Atq; viſa eſt res ea plerisq; vix ſatis eſse explicabilis: dum excipias eos tamen, qui κολαφίσματα, Paulum, perpetuatione quadam perpeſsum eſse, arbitrati ſunt, atq; ita ea retulerunt

lerunt ad id, quod Paulo cum fidelibus plerisq; omnibus prorſum commune fuiſset, puta ad *Afflictiones varias atq; graves.*

Piſcator ita hic ambiguus eſt, nihilq; pronuntiare certi audet, ut proprium tamen ſenſum colaphiſmatum non planè averſetur. *Sitne*, inquit, *hoc*, quod de colaphiſando Paulus refert, *propriè intelligendum, an per metaphoram, de Pudefactione: quis certò affirmet? Sanè id, quod ſubjungit, ſe rogaſse ut abſcederet à ſe ille Angelus, favet propriæ acceptioni.*

Quin exterior autem *plaga aliqua*, ſeu *percuſsio* intelligi debeat, quocunq; tandem modo circa faciem illata, verbum, quod expreſsè adhibitum legitur, κολαφίζῃ, nimis evidenter ferè, ut ne dubitetur, exigit. Quæ enim propria vis Græci eius verbi ſit, jam antea explicatum fuit à nobis.

Interpretes, qui ſuo idiomate ſinguli aliàs exprimere propriiſsimè eandem vocem ſtuduêre, mirè quidem variant.

Latinis à Græcâ voce minùs recedere ſtudium fuit: ut vel *colaphiſandi* verbum adhibuerint: vel *cædendi* verbum ad *colaphos* reſtrictum huc accomodârint.

Lutherus, ad manus retulit, quibus percuſsio fiat: Mit feuſten ſchlagen. Sic *Enſerus* quoq; *Polanus* itē, uti & *Belgæ* in ſuo idiomate.

Tigurini, ad caput referunt, cui plaga infligatur, Kopffstreiche geben.

Angli, generaliore voce contenti fuére, buffet: ut & *Galli*, buffeter.

Omnes ſic tamen exteriorem aliquam plagam expreſsére, quam Paulus hîc notet.

Atq; tanto minùs mirum videri debet, Satanæ Angelo, circa Paulum, tale quid fuiſſe indultum, divino ſapientiſsimoq; conſilio: quanto luculentiùs Hiſtoriæ teſtantur, tùm Priſtinorum, tùm Noſtrorum quoq; Seculorum, *Genios ſic quosdam Adſtites nonnullis extitiſse*, qui Vellicatores, ſeu Punctores, aut Percuſsores iisdem fuerint, ſi quid agere vel obmittere deberent.

Facit eò planè quod de Geniis prolixè deducit *Lipſius*, ex Stoicorum Diſciplinâ *Lib.* 1. *Phyſiolog. Stoicor. cap.* 19. dum Dæmonem ſeu Genium, non *Myſtagogum* tantùm, ſed *Pædagogum* etiam ex *Senecâ* dici oſtendit: dum non ex *Heſiodo* tantùm docet, Δαίμονας illos φύλακας θνητῶν ἀνθρώπων, cuſtodes mortaliũ; & apud *Platonem* Genium vocari φύλακα τοῦ βίου καὶ ἀποπληρωτὴν τῶν αἱρεθέντων, Cuſtodem vitæ, & adimpletorem, quæ quis elegiſset: Sed & apud *Epictetum*, eundem ἐπίτροπον ſeu Curatorem unicuiq; adſtitutum, atq; apud *Zenonem*, ἐπόπτην ſeu Inſpectorem humanarum actionum appellari commonſtrat.

Quid

Quid enim Pædagogis, quid ἐπιτρόποις seu Inspectoribus in eos juris esse soleat, quibus præstituuntur, notum est satis.

Atq; apud *Eusebium*, *Historia Ecclesiastica lib. V. cap. 25.* de Natalio, Confessore quodam Christiano refertur, uti seductoribus quibusdam conjunctus, non tantùm per Visiones commonefactus fuerit à Domino: Sed & quoniam illis attenderit negligentiùs, (inescatus videlicet, primatus apud eos honore, ac turpi quæstu, quo plurimi pereunt,) tandem *ab Angelis sit flagellatus, ac totâ nocte verberatus haut modicè.*

Apud *Bodinum*, de *Magorum Dæmonomaniâ*, cùm totum *cap.* 2. De Spirituum cum hominibus Consociatione, huc faciat, tum verò, post mentionem de Socratis Dæmonio, quod apud Plutarchum satis descriptum reperitur, Historia obvenit ejusmodi, ut hîcce eandem expendisse, alienum non videatur.
Ego verò, inquit Bodinus eo loco, *confirmare possum, me ex homine, qui adhuc vivit, audivisse, Spiritum quendam esse assiduum ipsius comitem, quem tùm demum cœperit agnoscere, cùm annum fermè trigesimum septimum ageret: putare quidem, eundem Spiritum sibi per totam vitam adfuisse, cùm ex antecedentibus somniis, tùm ex visionibus, quibus fuerat præmonitus, ut*

 certa

certa vitia, periculaq́ʒ præcaveret: nunquam tamen ita percepisse planè, ut ab eâ ætate fecerit. Hoc autem sibi narrabat accidisse, cùm priùs non desivisset anno integro DEum orare ex animo, Vesperi & mane, ut Bonum Angelum, futurum actionum suarum Ducem, ad ipsum transmitteret: se antè & postquam oravisset, certum tempus in contemplandis operibus DEi occupavisse, binis interdum, aut ternis horis considentem, ut meditaretur, volutaret animo, legeretq; Biblia, & deprehenderet tandem, quænam ex omnibus Religionibus, tantoperè controversis, cum veritate faceret. Itaq; *hos versus non rarò a se pronuntiatos esse,* ex Psal. 143.

Me DEus informa, quæ sit tua sãcta Volũtas,
Morigerasq́; man⁹ præsta, gressusq; sequaces.
Namq; eris ecce DEus semper mihi: Tramite recto
Spiritus ille tuus, divinaq; virgula ducat.

Se itaqʒ improbantem eorum factum, qui DEum orant, ut in præceptâ opinione confirmet ipsos, pergentem in Oratione hac, & legentem Scripturas Sacras, apud Ebræorum Philonem reperisse in libro de Sacrificiis, Virum bonum & integrum, at purificatum à DEo, non posse ullum majus, aut gratius DEo Sacrificium, quàm seipsum offerre Domino: obsequentem huic consilio, Animam suam DEo obtulisse. Ex eo tempore (sic enim

ille mihi) Somnia ipsi & Visiones monitorum plenas obvenisse, modò huic aut illi vitio corrigendo; modò antevertendo periculo; modò huic aut illi difficultati solvendæ, tum in Divinis, tum etiam in Humanis rebus. Inter alia verò dormientem se visum esse audire DEi vocem, dicentis: Servabo animam tuam: Ego sum, qui antè apparui tibi. Postmodùm quotidie sub horam tertiam aut quartam matutinam, Spiritũ pulsasse fores, *se verò cùm surgens aperuisset fores, vidisse neminem: ita perstitisse Spiritum unoquoq; mane, & nisi surgeret, excitasse. Tunc sibi demum obvenisse metum, cogitanti (ajebat ille) Spiritum aliquem malignum esse: propterea non destitisse, neq; dum ullum intermisisse, quin oraret DEum, ut Angelum Bonum ad se transmitteret, & sæpe Psalmos, (tenebat n. memoriter plerosq;) cecinisse. Tum ergo vigilanti sese patefecisse Spiritum,* leniter pulantem, *quo die primum sensu percepit illum, & sæpius tangentem vitreum baucalium: quo facto non parum fuit attonitus. Biduo pòst cùm amicum quendam Regis Secretarium. adhuc superstitem, prandio excepisset, erubuisse illum, ut audivit Spiritum ita* cædentem scamnum *quod adstabat sibi, & fuisse perculsum metu: se verò dixisse illi: Ne timeto, nihil est: ut tamen hominem confirmaret, facti veritatem ipsi explicasse. Ab illo igitur tempore mihi confir-*

mavit, Spiritū semper sibi adfuisse, & signo afficiente Sensus monuisse: *puta, modò* aurem dexteram, feriendo; *si quid mali faceret*; *modò* sinistram *si secus. Si quis ad circumveniendum ipsum accederet*, aurem *dexteram* fuisse pulsatam; *Sinistram verò, si vir bonus & ad rem bonam adveniret. Si quid mali bibiturus, aut esurus esset; si quid facere cunctaretur, aut aggredi, signum item fuisse datum. Si quid mali cogitaret, aut institueret, signo revocatum esse, S quando DEum laudare Psalmis inciperet, aut facta eius admirabilia eloqui, spirituali quadam vi auctum fuisse, atq; confirmatum. Atq; ut inspirata Somnia, à deliriis discerneret, quæ ex invaletudine, aut animi perturbatione solent incidere, se sub secundam, tertiamve horam excitari à Spiritu, deinde redormiscere, tum sibi demum vera somnia de eo, quod facturus aut crediturus esset; de iis, quæ dubitabat, aut quæ ventura erint, obtingere: adeò, ut ex illo tempore nihil ferè sibi acciderit, cujus non sit præmonitus; nihil credendum dubitaverit, quin fuerit factus de eo certior. Se quidem quotidie à DEo petiisse, ut ipsum doceret Voluntatem, Legem, & Veritatem suam, & unum ex hebdomade diem occupasse (non autem Dominicum, propter luxum, vitamq; perditam, quam die illo dicebat agitari) legendis Bibliis; meditandis & expendendis rebus lectis; DEo cum*

voluptate laudando Psalmorum laudibus, quo die ferebatur, domo non exivisse. Verumtamen in suis actionibus reliquis satis esse hilarem, lætoq; animo: (citabat enim ad hanc rem Scripturæ locum: Vidi facies Sanctorum lætas.) *Quòd si versanti cum aliis contigisset non bonum sermonem habuisse aut diebus aliquot precari intermisisset DEum, illicò dormientem fuisse monitum. Si librum malum legeret, fuisse librum,* percussum à Spiritu, *ut eum deponeret. Ab eo, quod valetudini ipsius fuisset nociturum, revocatum esse, & in morbo curatum studiosissimè. Deniq; tam multa mihi narravit, ut infinitum esset percurrere. Monebatur verò inprimis, ut manè surgeret, idq; horâ fermè quartâ; Sibi dormienti narrabat edi vocem quæ dicebat: Quis primus oraturus surget? Narrabat quoq; sæpè se commonefactum esse de erogandâ Eleemosynâ: quò plus erogaret, eò secundiores rerum suarum successus percepisse. Cùm inimici, appetentes vitam ipsius, aquâ vectum iri cognovissent, patrem sibi per somnium fuisse visum, adducentem equos duos, ruffum & album, ideoq; curavisse, ut duo equi conducerentur. & quamvis de colore nihil indixisset, famulum duos illos, ruffum & album adduxisse. Mihi autem roganti, Quid non apertè Spiritum compellaret, Hoc quidem a se, respondit, semel postulatum esse, repente verò Spiritum,* tanquam

 malleo

malleo vehementer fores pepulisse: *ut istud sibi ingratum esse ostenderet. Cæterùm se a Spiritu, ne diu legat aut scribat, impediri: ut quiescat animus, ac meditetur solus: persæpè ad ipsius vigilantis aures subtilissimam quandam vocem, & ἄναρθρον pervenire. Quærenti etiam an formam Spiritus vidisset unquam? Respondit, se dum vigilaret, nihil vidisse unquam, præter lumen quoddam valdè clarum, in orbem ductum. Semel autem, cùm in extremo agens vitæ discrimine, DEum orasset ex animo, placeret saluti ipsius consulere, & sub diluculum dormitaret, super lecto, cui incumbebat, animadvertisse puerulum, veste albâ, in purpureum colorem inclinante, vultu formaq; admirabili. Hoc ille plurimum confirmabat. Iterum versantem in gravi periculo, & modò cubantem, à Spiritum impeditum esse, qui non cessaret, donec è lecto surrexisset. Insomnem itaq; totam noctem in precibus consumsisse: postridie se mirabili ratione, & incredibili, carnificum manus effugisse: hoc facto, se dormientem audivisse, cùm inclamaret vox: Jam dicendum est,* Qui sedet in latibulo Altissimi. *Ne plura, narrabat ille se in omnibus difficultatibus, itineribus, institutis, quæ agressurus erat, consilium à DEo petiisse: & quadam nocte, cùm benedictionem sibi à DEo donari postulasset, Visionem dormienti fuisse oblatam, in quâ ipsi benedicebat pater. Hæc*

de eo

de eo homine (subdit tandem Bodinus) *perspecta placuit enarrare : ut ostendam non debere mirari quenquam, Malignorum Spirituum consociationem, si Angeli, Boniq; Spiritus societate huiusmodi & frequentatione cum hominibus communicent. Quod autem narrabat ille aurem sibi à Bono* Angelo pulsatam esse, *idem optimè Iob, 33. & Esa. 50. ostenditur. Hic enim* Dominus, *inquit*, vellicavit mihi aurem diluculo. *Longè vero apertius secretum hominibus peritis retegit, quo se paulatim DEus percipiendum sensibus exhibet. Similiter quod dicebat, se* tanquam malleo pulsantem *audivisse, hoc primum legimus fuisse Prophetarum signum. De Manoha enim in Iudicum libro legitur, cœpisse Angelum DEi pulsare antè ipsum, Interprete Rabbi Davide, &c.*

Hæc sic adducere hoc loco visum est, ut de exemplis, quorum plura adduci possent, si opus foret, conjectatio fiat: an adeò absonum sit, τὸ κολαφίζειν in Paulino loco isto propriè intelligere.

Quibus hæc à proprietate verbi illius recedere nimis libet, ut τὸ κολαφίζειν interpretentur de probris, conviciis, blasphemiis & contumeliis, quibus ipsum Angelus ille Satan affecerit, ac contemtum reddere molitus sit, (ut *Musculus Dusanus* post alios verbum istud

hoc

hoc loco exponit:) illi nihil fermè singulare verbis his Pauli subesse relinquũt, faciuntq; explicatione eâ suâ: ut figuratione quadam repeti hîc duntaxat statuendum sit, quod antehac, atq; paulò antè, apertè de se quoq; retulerat. Sed ut Revelationum respectu, singularissimum quiddam de se commemoravit Apostolus: ita probabilius est, Remedii contra Elationem ob illas, singulare genus quoddam, eum quoq; subjecisse. Habet id quidem comtentûs ac ignominiæ notam, si quis colaphis aut alapis cædatur. At non propterea consequens mox est, ut verbum, quo Apostolus hîc utitur, pro contumeliis duntaxat ac probris accipiamus, quæ adversarius contemtus gratiâ hic vel ille aliàs intulit.

In modum porrò immoderatiorem aliquem, nolim etiam facilè colaphum, quamvis de exteriore plagâ aliquâ, quæ à Spiritu illo infligeretur, acceptum, extendere: ut scilicet vel talis intelligatur, qualem apud *Plautum* minitatur, *Sagaristio Servus, puero Pagnio*: cùm inquit, in Persâ, Act. 2. s. 4. ℣ 22. *Te hodie si prehendero, defigam in terram colaphis*: vel qualem *Trachalio* denuntiat *Gripo Piscatori*, in Rudente Act. 4. s. 3. ℣. 68. *Verbum addc etiam unum: jam in cerebro colaphos abstrudam*

tuo;

tuo: vel de qualibus apud *Terentium* conqueritur *Sannio*, Act. 2. ſe. 2. ℣. 37. *in Adelphis*: cùm inquit: *Colaphis tuber eſt totum caput*: ubi antecedente ſcenâ, jam quiritatus eſset, *plus quingentos colaphos ſibi infractos eſse.*

Scilicet, ut antè jam indicatum id etiam fuit, intra modum Caſtigatio hæc Angeli Satanæ in Paulum, reſtricta fuit eum: ut nemiñus evaderet idoneus ad munus ſacroſanctum illud ſuſtinendum, feliciterq; peragendum.

Cùm enim in humanis quoq; rebus præcipi ſoleat, ut tantâ, qui deliquit, afficiatur pœnâ, quantum æquitas, humanitasq; patitur, (quod vel Ethnici etiam, ut *Cic. 2. officiorum*, monuêre): illud per Benignitatem & Philanthrophiam divinam multò magis agnoſcẽdum eſt, circa Paulum fuiſse accuratum: ne per licentiam, maligno Spiritui datam, inclementiùs tractaretur: quàm ut vacare ſuo muneri ſatis aptè, ac ſufficere poſset.

SECT. 54.

Verba ἵνα με κολαφίζῃ, *cur de* Intentatione ſeu Interminatione Colaphi *potiùs*, quàm de inflictis aſsiduè colaphis *accipienda ſint: Et per quam rationem ita accipi poſsint.*

Agno-

AGnosci adeò, verbis sic proprio etiam magis sensu spectatis, convenienter hic potest, jus moderatæ omnino, & attemperatæ Castigationis, duntaxat concessum fuisse illi Satanæ Angelo adversus Paulũ: Idq; *ad Casum etiã tantum Elationis*, si scilicet elaturus sese videretur, vel potiùs si sese efferret. *Bileamo*, Vati ab Ecclesiâ DEi alieno, atq; ad imprecandum DEi populo conduci se passo, Angelus Domini sic oppositus (*Lesatan*) ad adversandum, fuisse legitur: ut minitans apparuerit, non ut omnino verbera inflixerit, vel gladio percussérit. Et Paulo Angelum Satanæ, seu Satan, ad adversandum, ne se efferret, oppositum fuisse opinemur: istâ planè ratione ut vim continuò inferret, & impetu bruto quodam, citra seu ante omne meritum, eum contunderet? Id verò absonum est magis, quàm ut per Pietatem admittendum videatur.

Non est putandum, licentiam infestissimo Spiritui datam fuisse, perpetuæ cujusdam *Vexationis*, aut *Afflictionis*, vel immanis etiam cujusdam aut atrocioris *Excruciationis*, uti in vulgus ferè irroboravit hodie circa hæc Pauli verba opinatio. Æquitatis omnino memor simul fuit DEus, in jure illo adver-

adversus Paulum maligno Spiritui concedendo, dum bonum Præservationis à noxio illo Elationis crimine, promotum in ipso, tali Alexipharmaco voluit. Ne in servis quidem, qui quod flagris maximè essent obnoxii, (teste *Nonio*,) flagrionum nomen olim habuere, id accidisse putandum est, ut cogerentur illa, nisi ob meritum & causam aliquã experiri. Tantum abest, ut DEus in Apostolum temerarios planè atq; arbitrarios ictus veteratori crudelissimo indulserit.

Et cùm omnino Elationis præcavendæ respectu, sic jus tantùm habuerit Angelus Satanæ, colaphũ Paulo infligendi, apparet vel exinde, *in terrorem* magis additum hunc *Castigatorem* fuisse, quàm ut cogitari debeat eum continuè depalmasse, agereq; adeò sic potuisse ex petulantiâ illud, quod *Gellius* refert *lib. XX. Noct. Attic. c.* 1. *ex Q. Labeone*, de Lucio Veratio, quem egregiè hominem improbum atq; immani vecordiâ, nominat. *Is*, inquit, *pro delectamento habebat, os hominis liberi manus suæ palmâ verberare. Eum servus sesequebatur, crumenam plenam assium portitans, & quemcunq; depalmaverat, numerari statim secundum Duodecim Tabulas, viginti & quinque asses jubebat.*

Siccine verò vel humanis legibus licen-

tiam

tiam colaphorum inhibitam circa liberum hominem, audiamus, atq; eam Angelo Satanæ, quasi arbitrariam relictá, putemus, qui indole est ultra Veratianam perversá atq, improbá? Quin, cùm sic lege apud Romanos, nondum satis videretur petulantiæ esse itum obviam, *propterea*, inquit Labeo, *Pretores postea hanc* (*legem puta de assibus XXV. ob colaphum numerandis*) *abolescere, & relinqui censuerunt: injuriisq; æstimandis recuperatores se daturos edixerunt.*

Neq; verò, quod à Paulo hîc adhibetur verbum, ἵνα με κολαφίζῃ, non admittit etiam facilè eum, quem invenimus sensum, quo magis colaphisandi potestas intelligatur, quàm ipsa colaphisatio. Notum est, quam vim habere soleat, *modus*, quam vocant, *Subjunctivus*: ut scilicet aliquando, non ipsum factum, sed posse tantúm significet. Quam ob causam à Grammaticis quibusdam in peculiarem modum, quem *Potentialem* vocant, transcribi item verba illius modi solent, cùm sensum, pro negotio ac contextus ratione, habent, non de simplici, seu ipsissimo actu, sed de potentiá ad actum. Ejus modi ac sensus esse τὸ κολαφίζῃ censeri hic debet: ut *non factum ipsum* intelligatur, sed *potestas faciendi*: non *colaphisatio ipsa*, sed *jus seu potestas* colaphi-

colaphisandi) cogitetur eò directa, ut ne se efferret Paulus. Perpetuò quidem ejus, quod fieri ab Angelo Satan circa se posset, metu, sic plusquam planum est, quî absterreri Paulus potuerit, ut ab se efferendo sese contineret.

Res de *Potentiali modo* illo, aut sensu potiùs, in *Subjunctivo* alicubi agnoscendo, satis reperitur inculcata apud Grammaticos. Videatur ex Latinis, Scriptor eius rei exquisitissimus, *Vossius, lib. III. de Analogiâ cap. 8.* Vel vulgo in Scholis nostratibus etiam meritò tritissimus *Rhenius*, De Coniunctivi variá significatione, ac Speciali appellatione; *Emmanuel item Alvarus* in Scholiis primæ coniugationis. In Græcis videri potest *Iac. Gretserus*, in Institut Ling. Græc. lib. 1. c. XVI.

Neq; obstare hîc illud potest, quò minùs possibilitatem, quam *Priscianus* sic vocat, lib. 18. hîc agnoscamus in præsenti Conjunctivi, utut particula ἂν addita non legatur. Nam & illam omittti interdum, disertè monet *Gretserus*, loco citato: Et de Apostolis constat, quòd Græcis loquendi modis haut rarò sese accommodent ad morē usumq; Lingvæ Ebrææ. At in illá quoq;, etiam citra *modorum discrimen*, quod apud Latinos Græcosq; obvenit, verba eam indolem sortiuntur: ut per *potentiam* illam dictàm, aut etiam

 con-

consvetudinem, conatum, consimilesve rationes alias exponenda & intelligenda veniant. De quo videre licebit, insignem Tractat. *Flacii Illyrici*, ubi de Tropis & Schematibus S. literarum docet *Tract. IV. p.* 193.

Id forsan præter vim illam *modi Potentialis*, quæ in vebo κολαφίζῃ, uti dictum est, hîc venit agnoscenda, notari præterea conveniet, particulæ præmissæ respectu: cùm scilicet dicitur, ἵνα με κολαφίζῃ, jam non denotari potentiam illam colaphisandi simpliciter, ut concessa tantũ esse Angelo Satan cogitetur: sed ut certo quoq; fine, destinatoq; cõsilio illi velut injũcta ac demandata agnoscatur. Quod ipsum consilium, Fine mox expressim etiam denuò subjuncto, notanter inculcatur: per verba, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.

Belgæ, in recentissimâ illâ, atq; exquisitissimâ Versione, huic, quem sic monstravimus sensum, suam interpretationem, uni optimè videtur accommodasse: Dat hy my mit vuysten slâen soude/op dat ick my niet soude verheffen.

SECT. 55.

Verba, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, nec pro irreptitiis, nec pro temerè repetitis habenda: siquidem

Con-

Consilium Finemq; permissæ seu mandatæ colaphisandi potestatis notabiliter exprimunt.

DVm verba autem illa ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, sic respectanda hîc animadvertimus, ut *Consilium Finisq́*, ad quem potestas colaphisandi Angelo illi divinitus permissa, seu commissa fuerit, accuratè observetur: facilè est perspicere, quàm ea verba pro irreptitiis habenda non sint: uti nec pro temerè repetitis, dum illiusmodi non sunt, reputanda sunt. Quorum illud tamen fuêre ex Theologis non infimæ notæ aliqui, qui propè ausi fuerunt affirmare. *Particula hæc*, inquit Musculus, *abundat hoc loco. Nam initio periodi huius posita, sic satisfacit præsenti causæ, & consilium DEi exprimit, ut lector illam haut quaquam denuò requirat. Crediderim ab aliquo inconsultò repetitam. Si dicat Princeps aliquis, ne per excellentiam potestatis supra modum efferar, datus est mihi peculiaris hic morbus, qui humanæ me conditionis admoneat, puto non requiri, ut denuò dicat, ne supra modum efferar. In Vulgata Editione non reperitur &, ne quis Græca exemplaria prætexat, à Chrysostomo quoq́ non repetitur.* Sic Musculus.

At enim verò, faciliùs dixero, & *Chry-*

ſoſtomum ſic aliquid in verbis Apoſtolicis præ-
termiſiſse, aut repetitione non omnino o-
pus eſse, judicaſse; & *Vulgato Interpreti* idem
accidiſse, quod *Chryſoſtomo*: quàm ut Græco-
rum Codicum fidem id dubium hic vocem:
quos magno ſatis numero collatos ſcimus
à *Stephano*, prætermiſsorum verborũ horunce
veſtigio aliquo, in nullo ſeſe prorſ⁹ offerente.

Neq; verò *Syrus Interpres*, vel *Arabs* eti-
am, pro ſuo quodam lubitu verba illa hîc re-
petiſse putari poſsunt, apud quem utrumq;
expreſsè reperiuntur: ut in Græcis Codici-
bus, quibus ipſi ſunt uſi, iisdem oblata ea
fuiſse credendum ſit. Et *Vulgata Lati-
na*, in cæteris quibusdam huius textus parti-
culis, vix ſatis, debitam attentionem auctoris
ſui, probat: ut ejus auctoritas præjudicium
verbis illis afferre nullum jure queat.

Neq; rationes, quæ obtendi videntur poſ-
ſe, tales ſunt, ut Spiritus S. fruſtra temeréve
vel eandem prorſus rem repetiviſse putandus
ſit. Quanquam, quæ hîc eorundem verbo-
rum repetitio eſse videtur, ita planè eorun-
dem non eſt, ut in hoc nexu emphaſin longè
majorem habeant, quàm ex initio ſolo judi-
cari poſsunt habere. Nempe non morbus
hîc ſignificatur immiſsus eſse, ut ne ſeſe effer-
ret: ſed Caſtigator aliquis eâ gratiâ, ne ſe
effer-

efferret, additus eſse indicatur: atq; de illo preſsim ſimul commemoratur, quali omnino actu, ſeu actus intentatione efficere valuerit, debueritq;: ut efferre ſeſe Apoſtolus quoq; exhorreſceret.

Quàm autem nec ſic propè ſatis fuerit, ut ſcopus accuratè in hac narratione à Lectoribus obſervaretur, dum repetitò inculcatus videtur: ſecula haut pauca docuêre: per quæ narratio hæc absq; fine ilio ac conſilio divino, à compluribus ſpectata fuit: ut magis ſcilicet, quid ex cæteris vocibus exſculperent, laborárint, quàm penſi habuerint, quid Finis ille ab initio intimatus & ſub extremum repetitus requireret.

Breviter, Temeraria repetitio tanto minùs hîc cogitanda eſt, quanto ex dictis jam anteà luculentiùs conſtat, permiſsæ ſeu commiſsæ poteſtatis colaphiſandi, Conſilium ſeu Finem, ſic notabiliſsimè, atq; cum emphaſi aliquâ inculcari: ut Angelus Satan intelligatur non tantùm in id, ne Paulus ſeſe ob Revelationes ſuas efferret, Caſtigator appoſitus illi fuiſse: ſed ut cogitetur ſimul, quonam, & quàm idoneo atq; efficace modo, idem velut accinctus extiterit ad hoc prohibendum, ne Paulus ſeſe efferre auderet: vel potiùs, qualis pœnæ intentatione eum abſterruerit, ne de

Revelationibus suis se jactitaret, sed agere id, plurimùm verecundaretur, & haut leviter metueret, sollicitè deniq; caveret.

SECT. 56.

An τὸ κολαφίζειν *huius loci, per illud* κολαφίζεσθαι *exponendum non videatur, cuius Paulus alibi meminit,* 1. Cor. 4. v. 11.

VIderi posset, facere haut parum ad hunc locum explicandum, id, quòd Paulus alibi disertè meminit, τοῦ κολαφίζεσθαι. Atq; sanè, quòd hoc loco eodem verbo Paulus utatur, induxit nonnullos eò, ut referenda, quæ hîc significantur aliò non putârint, quàm isthuc, quò verbum idem, alibi adhibitum, satis manifesto sensu referatur, ad colaphos nimirum, ob Evangelii prædicationem quandoq; & alicubi inflictos.

At enim, quæ hîcce loci mentio fit τοῦ κολαφίζειν, præterquam, quod certæ omnino personæ, quæ *colaphisset*, respectû habeat additum, aliis haut obscuris modis, (uti constare de præmissâ explicatione nostrâ potest) sese discriminat facilè, ab eâ, quam Paulus commemorat, 1. *Cor.* 12. ℣. 11. Huius nempe loci *Colaphisatio* in jure quodam Castagatorio consistit,

ſiſtit, eoq; ſpectat, ut abſterreretur Apoſtolus ab efferendo ſeſe, ſeu jactando ſe de ſuis Viſionibus; vel ab effutiendo ſecreta per Revelationes illas cognita, quod prohibitum omne illi fuiſse intilligitur.

Colaphiſatio illa altera, cujus meminit alibi Apoſtolus, ob præconium Evangelii illi demandatum accidit, fuitq; ad comprobandam Conſtantiam, & ad Martyrium luculentius, non ad Caſtigationem, vel coercitionem aliquam comparata.

Hæc ſingularis planè in Paulo extitit, ad ejus Perſonam ſeorſum, ex *occaſione* ſingulari, peculiari *fine* directa: Illa communis Paulo cum cæteris Apoſtolis, & eorum Collegis fuit: Imò etiam Chriſtianis, ſeu fidelibus univerſim ſuſtinenda venit: ut liquet ex eo, quod 1. *Pet*. 2. ℣. 20. innuitur.

SECT. 57.

Num illud quod Paulus 1, Theſs. 2. v. 18. *de Satanâ queritur, ad* τὸ κολαφίζειν *huius loci pertineat.*

VIſum eſt nonnullis atiam, ad *Colaphiſationem* huius loci reducere id, quod accidiſse ſibi Paulus queritur à Satanâ.

ná, cùm ſemel iterumq; conſtituiſset, Spiritualis cuiusdã profectus cauſâ, viſere ad Theſſalonicenſes, ubi in propoſito eo ſuo, ἔγκομμα ſeu impedimentum ſenſit inferri & moram, nec quivit adeò præſtare temporiùs, quod agendum ſibi maturiùs judicaret. De quo legere eſt 1. *ad Theſſ.* 2 ℣. 18.

Sed & hoc ipſum minùs fieri congruenter, ſatis liquere poteſt ex jure illo colaphiſandi, quod Angelo Satan hîc tributum fuiſſe intelligitur, certæ *occaſionis*, & definiti *finis* reſpectu: ut nempe ſeſe non efferret.

Habuit hoc Angelus ille Satan (ſi ex maligno genere, ut communiſsima eſt ſententia, porrò æſtimetur:) ex permiſsione aliqua divinâ: ut item alterum illud, quo eſse poſset Paulo in ſalutaribus propoſitis, impedimento, citra Permiſsionem divinam, minimè habuit.

At in ſacro hoc negotio, propoſitoq; per ſe prorſus laudabili, præpediendo, ſeu ſufflaminando, longè diverſa ratio Permittendi agnoſcenda eſt, quæ DEi reſpectu intervenit, ab eâ, quæ in præſenti negotio antè declarata fuit.

Diſcrimen iſtud *permittendi* aliquanto dilucidiùs agnoſcere, non poterit, ſpero, eſse Lectori Studioſo, infrugiferum. Malo id

tamen

tamen *Basilii M.* verbis exprimere, quàm me- is, quâ quidem Permissio divina in impediendâ re salutari & bonâ spectatur.

Is igitur *Basilius*, in Regulis contractis, *Wolfgango Musculo Interprete, num 275.* Proposita quæstione, *An impedire queat Satanas propositum Sancti*: quia Scriptum est: Ego quidem Paulus proposueram venire ad vos, semel atq; iterum, sed impedivit me Satanas: Respondet: *Eorum, quæ in Domino rectè aguntur, alia mentis pnoposito & judicio absolvuntur; alia per corpus perficiuntur, vel Studioso opere, vel tolerantiâ. Quæcunq; igitur in animi sita sunt proposito, illa nullo modo potest impedire Satanas. Iis verò, quæ corporali operatione perficiuntur, sæpenumerò permittit etiam DEus, accidere impedimentum: ad probandum & arguendum eum, qui impeditur: ut vel, si bonum propositum mutat, arguatur: quales sunt, qui supra petram seminantur, qui ad breve aliquod tempus sermonem Domini cum gaudio quidem suscipiunt, verùm, subortâ tribulatione, confestim deficiunt:) aut si in bono perseveraverit, probatus reddatur in Virtutum studio, ac diligentiâ, sicut ipse Apostolus: qui cùm sæpe statuisset proficisci ad Romanos, impeditusq; semper esset, ut ipse fatetur, nihilominus à proposito non destitit, donec illud impleverit etiã; In tolerantiâ verò, ut Job: qui licet tanta à Diabolo*

bolo perpeſſus eſſet, qui ad hoc urgebat, ut blaſphemi aliquid diceret; aut ut ingratus eſſet erga DEum: perſtitit tamen ad extremas usq; calamitates in Pietatis judicio ac propoſito, & ſano erga DEum ſenſu & affectu. Scriptum eſt enim de illo: In his omnibus non peccavit Iob labiis ſuis contra DEum, nec inſipientiam dedit DEo. Hæc Baſilius.

Ex quibus, ſatis explicatè poteſt conſtare, quæ Permiſsionis divinæ ratio ſit, in iis, quæ piè proponuntur, & ſancto conatu tentantur, ſi à Satanâ impediri iſta contingat.

Quæ hîc porrò circa Paulum, ex *Permiſſione* ſeu etiam *Commiſſione Divinâ*, egiſse Angelus Satan ſignificatur, ea finem habent, ut ſæpius jam dictum eſt, longè alium illum: non ut impeditâ prædicatione & propagatione Evangelii, exploraretur eius animus, atq; probaretur ipſius conſtantia in propoſito & conatu Sancto: ſed ut, intentatâ quaſi præſentaneâ pœnâ, cohiberetur ab eo, quod Evangelii propagationem impedire præmodum potuiſset, nempe ab Elatione.

SECT. 58.

Satan apud Prophetam Zachariam, c. 2. v. 1. *Sacerdoti Magno à dextris ſtans, ut*

illi adversaretur, num conveniat cum Angelo isto Satan apud Paulum.

QVod in Visione quâdam legitur ostensum fuisse *Zachariæ*, ut *Iosuam Sacerdotem* magnum spectaret coram Angelo Domini stantem, eidemq; à dextris stantem *Satanam*, ut adversaretur ei: (*Zach.* 2. ℣. 1. 2.) id videtur ipsum quoq; nonnullis ad rem præsentem illustrandam facere.

Atq; hactenus sanè non incommodè fieri id facilè concessero: ut sic ostendatur mirum non esse, si Sanctiori Ministro DEi, etiam pessimus ille Adversarius agnoscatur stare proximus: ut item animadvertatur, quàm soleat Satanas obmoliri iis, qui rem sacram promovere debent, modis & occasionibus omnibus.

Sed de reliquo, quatenus Paulo datus, seu additus Angelus Satan significatur, neq; is ab eo adstite deprecationibus se suis expedire valuit: illîc autem Satanæ Increpatatio divina, denunciata auditur, qualem Paulus non impetravit: observanda venit differentia haut levis. Quæ eò notari merentur: ut tantò pleniùs cõstet, quid DEus vaferrimo suorum Servorum hosti indulgere quandoq; soleat: Et quàm eundem pro status humani necessi-

cessitate ac commoditate cohercere sciat.

Paulo igitur sic additus seu adjunctus fuit Angelus Satan, ut opportunè eum ab Elatione prohiberet tantùm, cùm cuperet ipse aliàs multò illi atrocissimè adversari. At *Iosuæ Sacerdoti*, (Visionem enim eam hîc interim altiùs non rimabimur, ut quò spectârit figura ea explicemus: quod si lubet apud Commentatores, præcipuè *Ariam Montanũ* videri potest:) Josuæ igitur Sacerdoti ad stans Satanas à dextris, cúm adversari vellet, sic nihil impetravit: ut sententiam atrociorem in se potiùs audierit, & divinitus à conatu suo fuerit repulsus. Opus erat Paulo, ut ab Elatione cohiberetur, Palo quodam, seu Coercitore. Talis ei fieri cogitur Angelus Satanæ. Apud Josuam Sacerdotem status erat talis: ut ipse jam cum Ecclesiâ videretur pal⁹ esse combustus, sev titio ex igne ereptus. Hunc contra ergo Satanæ nihil ampliùs indulgetur: Vtrimq; Electionis privilegio salvo *in Paulo*, qui vas erat Electum, σκεῦος ἐκλογῆς. *In Iosua*, ut dominus, qui elegerat Hierosolyma, ad Satanam diceret: *Increpet te Dominus, qui elegit Hierosolyma*: *Nonne hic* (Josua nimirum cum cœtu sacro) est *quasi titio ereptus ex igne?* Vt scilicet ejus curam gerere conveniat, & à penitâ combustione eum asserva-

re. Vtrimq; affectabat esse adversarius: sed hîc apud *Paulum* servire cogitur ad vas electionis tanto depuratiùs asservandum: illic apud *Zachariam* sævire prorsus vetatur, ad vas jam semiconfractũ, magis non conquassandum.

SECT. 59.

Sensus, in verbis Pauli hactenus ostensi evidentia tanta est: ut Interpretationes aliæ illæ, cumprimis de Tentatione Vulgatissima, & de Satana metonymicè dicto, *per se exspirent.*

QVi hactenus in Pauli verbis sensus est ostensus, cùm ex *Occasione*; ex *Fine*, seu *Scopo* propter occasionem illam divinitus proposito; ex *Verborum deniq; pressâ consideratione*, liquidissimè fluat: non dubito quin satis sese probaturus sit, præ omnibus plerisq; illis Explicationibus, quas ab initio præmisimus, numero non exiguo. Nullam quidem æquè puncta ferre potiora omnia interpretationis genuinæ, deprehendet, spero, Cordatus Lector: qui quæ dicta sunt expendere voluerit.

Dum

Dum hoc quidem multò evidentiſsimum eſt, poſt Revelationes illas ſublimiſsimas, cùm periculum eſset, ne Paulus ſeſe propter illas efferret, *Coercitorem* illi eſse adhibitum, quaſi *Sude, Palove ad caſtigandum inſtructum*, Angelũ Satan, qui colapho eum, ſi ſeſe fortè auderet jactitare, compeſceret, ne ſeſe efferret: ſeu ut efferre ſe horreret, vel deſveſceret: dum iſta, inquam, ſententia, ſuam habet ex Verbis & Contextu evidentiam: jam exſpirat illa, quæ longè vulgatiſsima evaſit, opinatio, de *Tentatione aliquâ*, quaſi à Paulo verbis ſic tectis innuatur, quibus eum modis Tentator ille exercuerit.

Sanè ſi *tentandi* verbum ſic quidem intelligamus, ut Satanæ per divinarum literarum uſum tribuitur, utq; irritationem ad delinquendum contra DEum involvit: tantum abeſt, ut propriè *tentatio* hîc agnoſci *Diabolica* queat: ut contrà potiùs, Satanas intelligatur adactus eſse, ad Paulum à delinquendo adverſum DEum, cohibendum.

Qui necem ex ſe ſpectavit, in Medicum converti neceſse habuit: ex veneno per ſe noxiosiſsimo, factum eſt provido DEi ac præpotente temperamento, Alexipharmacum adverſum Elationem ſaluberrimum.

Eleganter adeò, Commentatorum haut inſi-

infimus; *Quid sibi vult*, hîc inquit, *quòd Satan, qui homicida fuit ab initio, Pauli sit Medicus? Neq; modò in curando corpore, sed quod majus est in animâ sanandâ*, seu potiùs præservandâ à labe? *Respondeo: Satanam pro ingenio moreq; suo, non aliud, quàm necandi perdendiq; consilium agitasse, & aculeum cujus meminit Paulus, lethali veneno tinctum. Sed hoc singulare fuisse beneficium Domini, quod natura exitiale erat in medicinam vertere.*

Atq; sic alexipharmaci nomen haut sanè huc ineptè etiam acommodatur. Nempè hîc planè accidit simile quiddam, ac fieri solet in medicamentis ejusce generis, sic vulgò dictis. Ubi cùm veneno obsistere debet medicamentum, venenum misceri eidem solet: Et *Antidotus*, seu *Theriaca* de venenosissimarum bestiolarum carne, viperarum puta, paratur. Ista proinde, quæ Paulo adversus Elationem adhibita fuit Antidotus, ex Viperâ, Angelo Satanæ, conflata fuit: atq; ut à veneno vir sanctus præservaretur, Jactantiæ ac Superbiæ, Venenatissimus serpens, geniusq; idem Elatissimus & Superbissimus, ad medicationem deservire necesse habuit. Accomodè in hanc sententiam *Primasius* loquitur, *Africanus Episcopus*, qui Seculo V. ab Apostolis floruit. *Perfectionem Virtutis utiq;*

non

nondum habebat Apostolus. Nondum erat æqualis Angelis DEi, sed inerat illi se extollendi infirmitas, quæ per Angelum etiam Satanæ fuerat comprimenda, ne revelationum magnitudine extolleretur. Quare per Angelum Satanæ? Quia frequenter & antidotum etiam de Serpentibus contra venena Serpentum conficitur.

Sic coercere Spiritum rebellem illum Majestas divina satagit: ut nec detrectare potuerit Genius arrogantissimus, Apostolo *Coercitor* fieri & *Animadversor* existere adversum id vitium, quod cæteroquin maximè affectasset. Quod munus quoniam disertè significatur peregisse colaphisando: jam inde etiã plusquàm evidens evadit: quàm huc non quadret illa nominis Satanæ acceptio: Vt persona dicatur pro re usurpata: quod W*esthamero* placuit *in Troporum Biblicorum explicatione*: ubi de nomine Angeli disserit. Nempe videtur illi Paulus Communem loquendi modum sequutus esse: quo vulgo, quicquid adversitatum & periculorum accidit, aut Diabolum vocant, aut ex Diabolo esse existimant. Vix posse autem eum loquendi modum, utut nostris temporibus satis usitatum, de veteri & sacro usu approbari, ex iis intelligi satis potuit, quæ superiùs jam de re istâ sunt dissertata. Nec vel vulgo ita tritum est, ut Dia-

ut diaboli nomine, Adversitates & pericula simpliciter designentur: quamvis sic atrocissima esse significentur, cùm ipse Satanas esse, seu eum repræsentare dicuntur.

SECT. 60.

An Finem *eundem illum, ad quem Colaphisatio, seu permissa, seu etiam commissa, spectabat in Paulo, Angelus Satan etiam habuerit perspectum.*

ID sub extremum Paulinæ Narrationis huiusce, de Angelo, sibi ad colaphisandum addito, quæri non temerè etiam videtur, *An idem ille Angelus Satan, Finem Usumq; colaphorum, abs se Paulo infligendorum, perspexerit?*

Atq; si quidem Angelum Satan, eo hîc dictum sensu arbitremur fuisse, quem Sectione XXXIIX. indicavimus, nihil sanè erit, quod addubitare nos sinat, fuisse tali Angelo, quamvis ad adversandum sic constituto, id probè cognitum perspectumq; , quo *Fine*, quoq; cum *Usu*, infligere colaphos Paulo teneretur: cùm nec demandatum id illi fuisse, verisimile sit, sine ipsius ejus Finis Usúsq; indicio: ne addam, suapte perspexisse indo-

 le,

le, talem Angelum, quo colaphi in sanctum virum demandati tenderent.

Angelo Domini qui Bileamo ad adversandũ submittebatur, constabat plus satis, ob quid, & in quid, jus haberet, seu munus potiùs, adversandi. Cum eodem si hunc Angelum contendamus, qui Paulo Satan esse jussus est, seu ad adversandum constitutus fuit, quid æquè statui de eodem conveniet: ac illi rem omnem fuisse quoq; planissimam?

At si intra sensum, de Angelo Satan, seu Satanæ, subsistimus eum, quem cum Antiquitate omni, meritò certissimum agnoscimus: ut Angelus hîc intelligatur ex Malignorum Geniorum classe aliquis, ad hoc jus in Paulum usurpandum, admissum, ut colaphos illi posset, pro casu dato, impingere: jam dubitari saltem licebit, an Finis omnis Vsusq; colaphorum istorum eidem fuerit perspectus. Videtur certè malignus iste Spiritus, à colaphis lubentiùs abstenturus fuisse, si vidisset Vsum eorum talem omnino esse debere, ut Paulus vitium vitaret Elationis illud, multò noxiosissimum.

Musculus Dusanus quidem, quasi pro certo habuit, ignarum eum extitisse boni illius, cui sic serviret suâ sæviendi in Paulum libidine. *Tanto bono* inquit, *serviebat ipsi*

Ange-

Angelus ille Satanæ, imò Satan ipse, non intelligens Consilium DEi: sed cursum Evangelii Christi, hoc se pacto impedire posse putans: si Apostolum illius condignâ existimatione privatum, contumeliis ac probris contemtibilem redderet.

Commonefactionis aliquid haud superfunctoriæ, auctor idem inde colligit, cùm subdit consequenter: *Sic infatuatus Satan, dum obesse molitur, magis etiam prodest: Et quod impedire conatur, expeditum potius reddit, quam impeditum. Gloria hæc est Sapientiæ ac Providentiæ DEI, &c.*

In eandem Sententiam *Augustinus* jam olim quoq; de re istâ docuit: cùm loco, quem supra jam citavimus, Sect. 3. ex *Expositione in Psal.* 130. post verba de Angelis Satanæ, Sed hoc non possunt, nisi permissi, subdit: *Nam & Job Sanctus sic probatus est; Permissus est ad eum probandum Satanas, & percussit eum ulcere, ut vermibus scateret. Immundus enim permittebatur, & Sanctus probabatur. Nescit Diabolus, quanta bona de illo fiant, etiam cum sævit. Sæviens intravit in cor Iudæ, sæviens tradidit Christum, sæviens crucifixit: & crucifixo Christo redemtus est orbis terrarum. Si sciret tantum se damnum passurum, non funderet in terram pretium, quo redemtum est genus humanum. Sic ergò ille Angelus Satanæ, quasi libenter permis-*

 sus

ſus eſt, colaphiſare Apoſtolum: Sed tamen Apoſtolus ſanabatur. Sic Auguſtinus.

At enim cùm Paulus *Finem* illum Vſúq; colaphorum Angelo Satanæ adverſus ſe indultorum, jam literis quoq; iſtis tam diſertè prodidiſset: quî poterit perſpicaciſsimo Spiritui id accidiſse, ut vel tum ignoraret, quo jus ſpectaret illud alaparum Paulo infligendarum?

Id autem licet vel antè etiam, quàm à Paulo ſic res literis planè proderetur, perſpectum cognitumq; Satanæ, ſeu Angelo Eius, fuiſse, agnoſcamus: nihil tamen divinæ Sapientiæ ac Providentiæ vel iſto etiam modo decedere putandum eſt.

Animadvertendum potiùs, ſub iſtâ conſideratione luculenter venit: Per Sapientiam, & Providentiam DEi præpotentem, Vaferrimas Satanæ contra Paulum machinationes, in eius bonum fuiſse converſas, atq; vel invitiſsimum ex DEi mandato ſeu voluntate eò adactum fuiſse: ut, cùm Paulo ægrè facere averet, cogeretur ipſius Angelus quispiam, Paulo quàm maximè ad ſpirituale emolumentum deſervire. Quamvis & illud agnoſci de Satanâ hîc poſset: cùm non potuerit, uti omnino voluiſset, Paulum divexare, & in perniciem præcipitare, maluiſse malitioſiſsi-

ſiſsimum hoſtem, ſaltem quâ parte licentia divinitus daretur, Sanctiſsimo viro moleſtum eſse. Id uti in indolem congruit Satanæ malignißimam: ita mirabiliſsimam DEi Sapientiam magis illuſtrat: quæ quodvis malorum genus, quod inſidioſiſsimus hoſtis intentet, potenter ſatagit, apud fideles ſuos, convertere in ipſorum bonum. Quod ipſum ſic nudâ aliquâ Permiſsione non fieri, tam planum eſt: ut cum Permiſsione Conatus actusq; in Se mali, *Directio* in finem uſumq; bonum, & *Reſtrictio* quædam ac *Moderatio* intra æquitatem, præclare ſimul agnoſcenda veniat. De quo jam ſuprà, ſic explicatè ſatis actum eſse arbitramur.

SECT. 61.

Quâ ratione ulteriùs Narratio conſequatur, Eventus cuiusdam in Paulo ſingularis, *ob talem illum Elationis prohibendæ Cuſtodem: Et quæ ſic ampliùs expendenda veniant.*

COercitore igitur, ſeu Cuſtode tali Paulo, ad prohibendam Elationem, appoſito, non eſt dubium, quin Paulus ſatis ſibi caverit: ne occaſiionem inveni-

ret adversum se Angelus ille Satanæ, juris illius exercendi & colaphis ipsum lacessendi.

Adeoq; à plagis talibus re ipsâ, seu eventu ipso Apostolum fuisse exemptum, perquam mihi quidem videtur probabile. Nam verba ἵνα με κολαφίζῃ, per *modum potentialem*, commodè hîc accipi posse, superiùs jam est ostensum: ut contra ipsa Apostoli verba sic quiddam hîc affirmare, videri minimè debeamus.

Attamen id non potuit non permolestum accidere Apostolo, *Stipatorem* illiusmodi, & *Corycæum* talem, seu aliquem quasi *invisissimum Parmenonem*, (sic Servi olim vocabantur, μείνοντες παρὰ τοὺς δεσπότας, qui manebant semper propè dominos) habuisse ad latus perpetuò: sicq; esse quasi militi custodi adstrictum, & ad colaphos ab eodem excipiendos, perfacili casu, existere semper obnoxiú.

Haut mirum itaq; alienumve videri debet, quod de Eventu memorabili quodam, in se & circa se ulteriùs consecuto, Apostolus porrò commemorat.

Nempè deprecatum refert se fuisse, uti *ab Adstite, tam horrido illo & formidoloso* liberaretur.

Ubi ampliùs illud perquam mirabile, sed ad instructionem salutarem multò quoq; notabilissi-

bilissimum existit, quod *ter isto nomine deprecatus* Dominum, repulsam nihilominus tulerit. Quæ ipsa repulsa, responso illi certo, eoq; longè rationabilissimo, significata fuit: ut sic acquiescere placidissimâ mente, divino illi circa se Consilio, tandem planè potuerit.

Singula illa habent, quæ expendi attentiùs merentur; adeoq; hoc operæ, præmisso labori insuper adjungemus: cùm præsertim nec istâ parte non occurrant aliqua, supiniùs à nonnullis, vel *Interpretibus*, reddita atq; expressa; vel à *Commentatoribus* explicata atq; illustrata, usibusve etiam Ecclesiasticis accommodata.

SECT. 62.

Eventus ille, ob Coercitorem Angelum, in Paulo, circaq; Paulum memorabilis, per quas partes considerandus veniat.

Et primò,

De Deprecatione Custodis tam invisi & terrifici.

QVod *Eventum* ergò illum *memorabilem* attinet, qui ob Coercitorem Angelum, in Paulo, circaq; Paulum extitit: uti quidem ejus narrationem Apostolus ipse de se

hîc ſubtexit, diſcretim videndum venit, Quid ſub Caſtigatore iſto,

Tum ipſe affectârit ;

Tum deinde conſecutus ſit ;

Tum animo tandē apud ſe conſtituerit.

Quid ipſe affectârit, ſub Caſtigatore eo, tam illo inviſo ac terrifico, indicat verbis, cùm inquit: ὑπὲρ τούτου τρὶς τὸν Κύριον παρεκάλεσα ἵνα ἀποστῇ ἀπ' ἐμοῦ. *Super hoc ter Dominum precatus ſum, ut abſiſteret à me.*

Deprecationem ſe inſtituiſse ſignificat: dum inquit, παρεκάλεσα, hoc eſt, viribus meis diffiſus, & ab incumbente moleſtiâ expedire me, per memet neſcius; in auxilium vocavi ſuperiorem potentioremq; aliquem.

Et verò optimum tutiſsimumq; malorum, quæ nos urgent, aut exercent, *Remedium* eſt, *Deprecatio*: quâ ſcilicet à Superiore, qui potentiâ præpollet, atq; in affectum nos adjuvandi pronus eſt, auxilium & liberatio rogatur.

Hanc porrò Deprecationem ſuam, ita abs ſe inſtitutam fuiſse Paulus commemorat: ut diſcretim innuat,

Tum, *Ob quid eam inſtituerit ;*

Tum, *Quoties id egerit ;*

Tum, *Quem deprecatus ſit, ſeu Ad quem deprecationem ſuam direxerit ;*

Tum,

Tum, *Quid præcisè seu explicatè per eam requisiverit.*

Ob quid suam istam Deprecationem instituerit, innuit, cùm post præmissam narrationem, infit hac parte, ὑπὲρ τούτου παρεκάλεσα.

Manifestum id puto per se est, sic respici ad id, quod in narratione præmissâ nominatum fuit. Quod quia à plerisq; in sensus diversos, atq; à simplicitate & recepto vocum illarum usu longiùs distractos, acceptū fuit, hac quoq; parte consequenter factum est, ut alii alio retulerint verba hæc Apostoli, cùm subiunctim ait, ὑπὲρ τούτου παρεκάλεσα.

Liranus, & *Glossa*, , quam vocant, *Ordinaria*, referunt ea, ad Colaphisationem, ex opinione illis temporibus invulgatâ, intellectam: puta ad Passionem Iliacam, vel Carnis etiam tentationem.

Sed ista, ut & consimilis censusalia, in præmissis verbis hautquaquam agnoscenda venire, satis superq; superiùs est ostensum.

Adeò nec est, cur ex ullâ illiusmodi interpretatione intelligendum hîc nobis arbitremur, quidnam notetur, cùm Paulus hîc significat, ob quid Deprecationem suam instituerit.

Eò verba hæc, cùm inquit ὑπὲρ τούτου παρεκάλεσα, Lectorem tritissimo usu suo propè

 ducunt,

ducunt, ut ad *Personam* in illis respici animadvertat. Nota in Latinis formula, apud Maronem, *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa*, in quâ Personarum respectus planè reperitur expressus. At in Græcis eiusmodi loquendi modis, ubi verbum παρακαλεῖν vel affinia, per ὑπὲρ constructum leguntur, in Novi quidem Fœderis Scriptis, vix reperies, absq; personæ respectu seu denotatione, id fieri. Vide τὸ προσεύχεσθαι *Matt. V.* 44. *Col.* 1. ℣. 9. τὸ δέεσθαι *Act, VIII.* ℣. 14. 2. *Cor. I.* ℣. 11. *Itē IX.* ℣. 14. *Rom. X.* ℣. 1. *Phil.* I. *v.* 4. τὸ ἐντυγχάνειν, *Rom. IIX. v.* 27. 34. *Heb. VII.* ℣. 25. τὸ εὐχαριστεῖν *Rom.* I. ℣. 8. 1. *Cor. X.* ℣. 30. *Eph.* 1. ℣. 16. τὸ εὔχεσθαι *Iac. V. v.* 16.

Eorum autem, quæ antecesserunt, vel simplex consideratio quoq;, *Personam* planè exhibet, quæ verbis sic subnexis notari agnoscatur.

Atq; mox etiam consequitur in ipsa Deprecatione hac verbum eodem spectans aliud, ἵνα ἀποστῇ ἀπ' ἐμοῦ, (ut desisteret à me) quod suapte quasi naturâ ad *personā* sese prorsū refert.

Persona ergo illa, ad quam hoc loco per pronomen τούτου respicitur, est *Angelus ille Satan*, seu Satanæ, qui σκόλοψ τῇ σαρκὶ erat, qui ad colaphisandum Paulum pro occasione omni erat intentus.

Erat

Erat sic, quod Apostolum poterat ad deprecandum haut temerè impellere: cùm hoc natura ferat humana, ut ab iis liberari cupiat, quæ infesta existunt illi atq; molesta.

Neq; Persona talis non erat, super quâ deprecatio institui poterat ex ipso Christi præscripto: siquidem in eâ, quam nobis tradidit, orandi formulâ post alia disertè continetur & istud, ut à Maligno illo liberari petamus.

An id autem Personæ ejus respectu planè hîc deprecatus sit Apostolus, quod deprecari simpliciter atq; absolutè liceret, id paulò post penitiùs erit ut exquiratur.

SECT. 63.

Cùm dicit Apostolus, τρὶς παρεκάλεσα, *quî numeralis vox ista sit accipienda.*

Quoties deprecatus sit, declaratum voluit, dum ait, ὑπὲρ τούτου τρὶς παρεκάλεσα, *Super hoc ter rogavi. &c.* Accipere particulam numeralem, τρὶς, h. e. *Ter*, libet hoc loco plerisq; pro aliquoties, aut sæpius: ut numerus certus videatur positus pro incerto.

Sed nihil impedit, quò minùs voculæ ejus proprius hic sensus retineatur, atq; trinâ vice Deprecationem istam à Paulo fuisse factã agnoscamus.

Quin

Quin dum mox ſubjungitur, quâ ratione factum ſit, ut à deprecando tandem deſtiterit, veriſimillimum eſt, Paulum oraſse primùm, atq; unâ vice: Sed tum nihildum reſponſi accepiſse. Deinde inſtitiſse eum ſecundâ vice. At neq; tum de VoluntateDEi, atq;Conſilio,tã illo firmo atq;deſtinato,fuiſse edoctum. Tandem nec prætermiſiſse id agere, vice tertiâ, imitatione Chriſti Servatoris, qui trinis quoq; vicibus diſertè calicem illum deprecatus fuiſse commemoratur. Atq; tum demum edoctum fuiſse Divino Reſponſo, quid ferret in re eâ, quam deprecaretur, Conſilii Divini ratio.

Quem in modum præclarè liquet, Et quam Paulus perſeveranter in precando, ob rem eandem inſtiterit, ad tertiam usq; vicem progreſsus, atq; ulterius etiam idem urſurus, niſi Divinum, quod prohiberet, Reſponſum intervenîſset: Et quam deinde à deprecando amplius hoc modo, cùm ſibi id ſalutare, DEoq; glorioſum idem exiſtere, ex ipſâ Reſponſione divinâ intelligeret, morigeranter ac ſubmiſsè deſtiterit.

Argumento id nobis eſse quoq; poteſt, quàm liceat in malis, quæ nos urgent aut exercent, conniti inſtanter, ſi deprecando ea amoliri queamus: quàm itidem in deprecando

ẽando inſtare conveniat, ſi de Voluntate DEi decretoriâ in ærumnis aut moleſtiis, vel doloribus quibusdam noſtris, nobis nondum conſtet.

At & ipſum hoc Pauli factum, cùm ultra vicem tertiam, Reſponſo divinitus accepto, poſtea progreſsus non eſt, exemplo eſse debet: *Si de Voluntate DEi, quâ mala nobis immittuntur, aut continuatè etiam incumbunt, planè conſtet; Si planè pateat per ea ſalutem omnino noſtram promoveri, Gloriamq; DEi illuſtrari: ut preces in reliquum divino attemperemus nutui, atq; ab eo, quod noſtro nobis bono ſufferendum imponit Dominus, deprecando, patienter deſiſtamus.*

SECT. 64.

Τοῦ Κυρίου *nomine, ad quem Deprecationem ſuam Paulus direxit, quisnam intelligatur.*

AD *quem* direxerit precationem illam ſuam Paulus, indicat, dum ait, παρεκάλεσα τὸν Κύριον.

Nomine eo dubium eſse non poteſt, quin Chriſtum deſignet, Unigenitum DEi Filium, ſed in naturâ jam noſtrâ ſibi perſonaliter adſcitâ, ad Dexteram DEi, thronumq; Majeſta-

tis ſupernæ reſidentem. Ei quidem Domini nomen peculiari Apoſtolorum uſu tribui in Sacris Literis, notius eſt, quàm ut oſtendi ullo modo opus ſit.

Iſto autē, quē indigitavimus, DOMINI hujus noſtri intuitu, ut DEum ſimul hominemq; verū eundem agnoſceret, adire Paul⁹ eū potuit tum *ſingulari cum fiduciâ*, de pronitate ad juvandum, tanquam ſimililer in omnibus tentatum, & μεμαρτυρηκέναι edoctum; tum *plenâ cum perſvaſione*, de Poteſtate, quâ præpolleat in Satanam eiusq; Angelos prorſum divinâ.

Et notum eſt, quid Spirituum quoq; illorum Supercœleſtium & Subcœleſtium reſpectu de Chriſto prædicetur ad *Eph.* 1. ℣. 20. 21. 22. Itemq; 1. *Pet.* 3. ℣. 22. Ipſa verò in re tali illa Deprecatio quoq;, dum à Paulo ad Chriſtum directa fuiſse ſignificatur, per ſe evincit, Majeſtatem verè divinam in Illo ab ipſo fuiſse agnitam; non qualis in hominem cadere poteſt, ut valeat ad coercendum aliquâ ratione Malignos Spiritus; ſed quæ tanta omnino exiſtat, ut Dominium illud complectatur ſimul prorſus atq; ὄντως divinum. Nunquam certè, qui Homo tantùm fuerit, quanta quanta etiam Majeſtate præditus extiterit, ſic invocatus fuiſse legitur, ut Spirituum potens. Qualem ex iſthac

Pauli

Pauli invocatione Christum agnoscere nos omnino convenit, verè mereq; divinâ αὐτοκρατορίᾳ seu potentiâ in Spiritus etiam omnes præditum.

SECT. 65.

Quid præcisè precatus sit Paulus à Domino, dum rogaße se dicit, ἵνα ἀποςῆ ἀπ᾽ αὐτοῦ.

QVid requisierit tandem Apostolus, per deprecationem illam suam, ut id precisè, seu definitè pateat, indicat idipsum verbis quæ adjecit: ἵνα ἀποςῇ ἀπ᾽ ἐμοῦ: h. e. *Vt absisteret à me.*

Hoc declaratè voluit, ut Angelus ille Satanæ, qui σκόλοψ τῇ σαρκὶ, Palus Sudesve carni, seu Castigator prærigidus erat: qui Adstes Comesq; illi perpetuus, ac velut Miles Custos adjunctus erat: qui pro malitiâ suâ paratus assiduè existebat ad ipsum depalmandum, si occasionem inveniret modò ullam, ex licentiâ divinitus datâ, ut iste, tam invisus infestusq; Coercitor, abs se absisteret.

Ipsum, quod hac parte legitur, verbum, ἀποςῇ, vi suâ quasi nativâ, usuq; longè tritissimo, arguere potest, personam reverà aliquam in antecedentibus notari, ad quam respiciatur: eamq; talem, quæ adstando & comitando mo-

lesta existeret: Vt confirmatio hinc peti luculenta posit ejus sententiæ, in quam verba antecedentia, & propiora illa & remotiora, jam superius à nobis accepta fuêre.

Videatur verbi ejus usus per potiora loca omnia ubi in N. T. libris occurrit: atq; semper ad personam, adstantem aliquam, vel incumbentem, referri id apparebit, si rei alterius, vel personæ respectu usurpetur, cui adstari posit. Sic de Anna, ὀυκ ἀφίςατο ἀπὸ τοῦ Ἱεροῦ. *Luc. 2.* ℣. 37. Et Christus de Infidelibus, seu operantibus iniquitatem, ἀπόςητε ἀπ' ἐμοῦ πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας. *Luc. XIII.* ℣. 22. Similem sensum usumq; deprehendes in eodem verbo, si videas, *Act. V.* ℣. 38. & *XV.* ℣. 38. & *XIX.* ℣. 9. & *XXII.* ℣. 29. & 1. *Tim. VI.* ℣. 5. Atq; de Angelo etiam *Act. XII.* ℣. 10.

Accommodatissimo ad præsentem locum exemplo, verbum idem adhibitum deprehendes apud *Lucam c. IV.* ℣. 13. Vbi de Diabolo post Christi tentationem dicitur, ἀπόςη ἀπ' ἀυτῦ ἄχρι καιροῦ, *Abstitit ab ipso ad tempus.* E quo loco, ut planissimum est, nec Servatorem ipsum nostrum, in diebus Carnis suæ, fuisse à personali insectatione Satanæ, nisi ad tempus aliquod, immunem: ita minùs id mirum videri nobis debet, quod de Paulo hoc loco, ad literam intelligendum esse de Angelo Satanæ animadvertimus. Cùm

Cùm porrò precatum ſe eſse Paulus ait, ſuper Angelo illo Satanæ, tam ſibi infeſto, ἵνα ἀποςῇ ut abſiſteret à ſe, agnoſci in verbo eodem id jubet res ipſa, & uſus in Græcam lingvam ex Ebræo more adſcitus, facilè ſinit: ut per *modum* aliquem *Conjugationis*, quam vocant, *Dagesschatæ* exponatur: tantundemq; valeat per Ebraiſmum, ac ſi dictum eſset, verbis plenè expreſsis, *faciat, ſeu jubeat abſiſtere, vel recedere a me.*

Quod quantâ auctoritate & poteſtate Chriſtus facere, jubereq; poſsit, non tantùm ex Conſideratione Divinitatis, quam cum Patre communem habet; & ex intuitu Majeſtatis ad quam ſecundum naturam, nobiſcum communem, evectus eſt, conſtare poteſt: ſed ex ipſo quoq;, cuius modò meminimus, documento, clarum exiſtit, dum indetrectabili illo verborum imperio, ὕπαγε Σατανᾶ *Matt. IV.* ℣. 10. non adverſus Angelũ duntaxat Satanæ, ſed contra Satanam ipſum ſeu Diabolum, h. e. Malorum Spirituum Principem ſummum, eſt uſus.

SECT. 66.

Paulus, de Vſu Angeli Satan *quid perſpectum habuerit, cùm ſic deprecaretur:*

quidq; adeò de Deprecatione sic factâ judicandum.

CVm planè autem, ex iis, quæ jam superiùs, de *Divino* circa Paulum *Consilio*, deq; *Fine*, & *Usu* Coercitoris illiusmodi adversus Elationem illi non temerè adjuncti, explicata à nobis fuêre, pateat, accidisse sic Paulo quippiam, cum Salutari commodo ipsius conjunctum, utut aliquid haut levis molestiæ ac terroris simul incumberet: disquirendum exinde hîc etiamnum venit: *An Paulo ante Deprecationem istam, res eadem illa omnis, uti quidē ab ipso commemorata fuit postea, fuerit perspecta.*

Si Paulus igitur perspectum planè, ante ipsam etiam Deprecationem illam suam, habuisse statuatur, Consilium DEi, in Custode illo ipsi adjungendo, quò esset scilicet Elationis antidotus: videri sanè poterit, Deprecatione suâ istâ requisivisse aliquid, quod minùs decebat. Neq; enim convenit, ut Alexipharmacum deprecari velit is, qui adversus morbum, aut contagii periculum, illo se opus habere omnino intelligit.

Attamen, cùm genus hocce remediorū, esse quoq; possit varium, alterumq; altero mitius aut gratius in varietate istâ existat, licet

vel ſic cogitare, poſse ægrum, ſeu eum, qui de valetudine ſibi metuat, deprecari certum aliquod genus, ſi Medico collibeat ſcilicet, aut videri queat, quod acerbius ingratiusve ægro exiſtimetur, commutare cum alio mitiore, & minùs ingrato ſeu acerbo.

Et quamvis ſaluberrima quoq; fore non dubitentur, quæ carni adverſa ſunt, ſeu ſenſibus naturæ noſtræ nimis ægrè faciunt, poſse tamen ea ſub deprecationem cadere, vel absq; vitio referri, ipſa Chriſti deprecatio illa, ter quoq; repetita in horto, plus ſatis docet. Tantum ſcilicet DEus Humanæ naturæ, noſtræq; imbecillitati indulget: ut deprecari quoq; ſinat, quod ipſe nihilominus vult à nobis pertolerari.

In quam ſententiam benè ab *Auguſtino* ſcriptum eſt, de Natura & Gratiâ, contra Pelagianos cap. 23. *Hoc utiq; DEus agit, ut ſanet omnia: ſed agit judicio ſuo, non ordinem ſanandi accipit ab ægroto.*

Tantummodò igitur in deprecationibus ejusmodi, meminiſse ejus cautelæ nos oportet: ut ſeu addamus apertis verbis, ſeu certo animi ſenſu nobiſcum id cum votis noſtris concipiamus: ut nihil expetamus, invito prorſus aut renuente DEo, hîc nobis contingere. *Si tua eſt voluntas Pater*, inquiebat

 ipſe

ipſe DEi Filius, Servator noſter: *Fiat Voluntas tua: Non ut ego, ſed ut Tu vis.*

Sed & fieri in iſthoc Pauli caſu potuit: ut antequam divinitus erudiretur de Conſilio Domini, circa inſectatorem tam malignum ſibi additum, non ſatis perſpectum habuerit, quæ planè Domini voluntas fuerit: adeoq; deprecari tantò licentioſiùs illud quiverit, inq; modum, quem commemoravit, auſus fuerit. Vti diverſum omnino poſtea temporis eum egiſse patet, poſtquam de Voluntate Domini irrefragabili conſtitit.

Quæ eò hic addere viſum eſt, quòd reperiantur inter Commentatores aliqui, qui non dubitant affirmare, Paulum in Deprecatione iſtâ egiſse aliquid ignorantem. Præ aliis *Sebaſtianus Meyerus*, *Ignorans Paulus*, inquit, *huiusmodi Stimulum remedium eſse adverſus jactantiam revelationum, divinitus ſibi factarum, ter Dominum oravit, ut ſe ab huiusmodi malis Satanæ nuntiis liberaret, ac finem tremoris illis faceret.*

Sed jam nunc videndum ſequitur, quocunq; id modo à Paulo oratum fuiſse ſtatuamus, ut àbſiſteret, ſeu abſiſtere abs ſe juberetur Angelus ille Satan colaphiſator: quid deprecatione ſuâ ſit conſecutus.

SECT.

SECT. 67.

Quid Paulus Deprecatione ſuâ ſit conſecutus: Repulſam *nempe, ſed eam Conſolatorio Reſponſo ſvaviter mitigatam.*

A Commemoratâ igitur deprecatione ſuâ, pergit Apoſtolus narrando ſubtexere, quid per eam à Domino ſit conſequutus. Καὶ εἴρηκέ μοι, Ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου. ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται. H. e. *Et dixit mihi: Sufficit tibi Gratia mea. Potentia enim mea in infirmitate perficitur. Repulſam* ſic paſsus in eo, quod definitè rogârat, ſanè fuit. Sed eam Reſponſo tamen ſentiit ſibi intimari perquam benigno, & ad animum ſub ipſâ moleſtiâ illâ tranquillandum conſolandumq; haut inefficace.

Vti id verbis Apoſtoli commemoratur, videndum,

Tum, à *Quo qualiq; modo, proditum fuerit;*

Tum *Quale ſit, ac Quò per ſe dirigatur.*

Cùm inquit, καὶ εἴρηκέ μοι factum id reſponſum ſibi innuit ab eo ipſo, ad quem directa fuerat deprecatio, à Domino nempe JESU CHRISTO.

Quod quoniam dicendo factum eſſe indicatur, Revelationis modo accidit utiq; illiusmodi aliquo, quales uſu veniſſe varios cir-

ca Apoſtolum videmus: puta, ut *vel per Angelum Sanctum* aliquem ſuam illi Dominus voluntatem manifeſtârit; ut factum, *Act. XXVII.* ℣. 23. Vbi de futuro naufragii eventu eum erudiit: *vel per Prophetam aliquẽ*: ut factum *Actor. XXI.* ℣. 5. *Vel Viſione aliquâ* ſuæ etiam ipſius perſonæ factâ, atq; alloquio quaſi coràm inſtituto: ut factum *Actor. XXIII.* ℣. 11. Vbi expreſsè dicitur, τῇ δὲ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Κύριος, εἶπε, θάρσει Παῦλε.

Quam poſtremam rationem hac in re quoq; interveniſse, videtur veriſimillimum: dùm adeò expreſsè dicit, καὶ εἴρηκέ μοι ſcilicet ὁ Κύριος, ad quem deprecatio fuerat directa.

Quocunq; tamen modo id Paulo accidiſſe cogitemus, nobis ſatis eſt, ſpem eius exemplo concipere indubiam: nec noſtris deprecationibus defuturam Domini gratiam: utut non in eundem prorſus modum ſua nobis reſponſa aperiat.

Reſpondet enim nobis Dominus, ſi non peculiari aliquo oraculo, ſaltem ex communi illo oraculorum divinorum penu ſufficienter: ex divinis puta Literis, dum eas legimus; dum eas audimus; dum eaſdem, quod requiritur, ſcrutamur & meditamur.

Reſpondet nobis DEus, cùm dubios anxiosq; confirmat & conſolatur interiùs; cùm labi-

labidos & vacillantes ſuſtentat conſolatione ſuâ, ne excidamus; cùm ita adſpirat nobis, ſub calamitatum torturâ nutibus ſuis gratioſis: ut patientia noſtra ſublevetur, & ſpes uſq; ſurrigatur ac ſtatuminetur.

Jam *Quale ipſū id Reſponſū Domini extiterit, & quò directū per ſe fuerit*, ſic videtur pro verborū conſideratione, Contextusq; ipſiꝰ collatione magis attentâ, congruenter teneri: Si Paulo regeri verbis illis, Ἀρκεῖ σοὶ ἡ χάρις μου, ſtatuatur: Id, quod præſtari ſibi definitè petat, neceſſarium non eſſe ut præſtetur: quamvis ſibi videatur petere aliquid, quod vel requiratur ad muneris demandati perfectionem; vel quod facturum eò ſit, ut munere eo tanto defungatur rectiùs & feliciùs: vel, unde ſaltem inter dilectos DEi filios ſeſe numerandum pleniùs agnoſcat.

Germanus Interpres noſter vulgatiſsimus, Verba ſic reddidit, quaſi in Græco forma obveniret Imperativa: Laß dir an meiner Gnade genügen. Quem modum ſequuti ſunt quoq; *Tigurini*: *Piſcator* item, ac *Polanus*, in Germanicâ quam haut levi operâ adornavit N. T. editione. Quod ſic ſanè cum emphaſi majore aliquâ reſponſum fuiſſe videretur. Sed enim in Græco non legimus, ἀρκείτω, quod propriè eſſe id poſſet, quod Germani ſic

expreſsêre. Indicante modo legitur, ἀρκεῖ; quem nemo non *Latinorum Interpretum* etiam retinuit: *Belgæq;* item ſtrictè ſecuti ſunt, tam in eâ, quæ in *Marlorati Verſione* adhibita fuit Interpretatione; quàm in *Recentiſsimâ nuperâ, & exquiſitiſsimis curis elaboratâ Translatione*. Sic igitur reſpondens Paulo Dominus, & velut annexas petito ſuo rationes, reſpiciens *Sufficit tibi*, inquit, *Gratia mea*, quam hactenus ſatis multiplicem largamq; experiris: ut præter eam nihil hîc habeas, quod omninò requiras ampliùs, aut quod impenſè adeò deſideres, muneris ſcilicet tui cauſâ, ad quòd præcipuè hic reſpiciendum videtur.

Agnoſcitur ex reſponſo hoc, Paulum ſic egiſse in precatione ſuâ: ut ſejunctionem maligni illius Adſtitis, ac Caſtigatoris, urſerit rationibus quibusdam, atq; eâ principaliter: quod in munere Apoſtolico ſuo & profectu Evangelicæ prædicationis ſic ſibi præpediri videatur: quòdq; adeò defectum quendam, ſeu infirmitatem aliquam in ſe experiatur ob quam non ſatis ſe putet aptum, liberum, idoneumq; ad rem demandatam, ſufficienter peragendam.

Adverſum eam rationem directum animadvertitur *Domini Reſponſum*: cum dicit, *Sufficit tibi Gratia mea*: Q. d. Quod imaginaris

naris tibi De defectu, de Infirmitate, de Insufficientiâ quadam ad munus demandatum, id vanum est. Temerè hoc tibi fingis. Recole tantùm, quid tibi Gratiæ elargitus sim hactenus, quidq; Gratiæ in præsens præstem agnosce, ac crede, eâdem me Tibi in futurum quoq; non defuturum.

SECT. 68.

Quæ definitè fuerit ἡ χάρις τοῦ Κυρίου, *quæ* ἀρκεῖν *h. e.* Sufficere *Paulo dicitur.*

GRatiæ suæ nomine (quam sic definitim per articulum, ἡ χάρις, innuit) respicit Dominus utiq; ad omne illud, quod ex merâ benevolentiâ, citra ullius meriti rationem illi contulerat, Muneris præsertim dignissimi gravissimiq; respectu.

Sic igitur eo nomine recolenda venit,
Tum *Singularis illa & extraordinaria Vocatio*, per apparitionem splendidissimam, & alloquium planè divinum;
Tum *Confirmatio miraculosa illa per Ananiam*;
Tum *Dotatio per Spiritum Sanctum & varia ejus* χαρίσματα:
Tum *Miraculosæ Liberationes è variis gravissimisq; periculis*;

Tum *Potestas in dæmonia homines obsidentia, in morbos planè lethales*;

Tum *Auctoritas in Castigandis & coercendis immorigeris & blasphemis*;

Tum *ipsa quoq; Dignatio illa admissionis intimæ ad secreta cœlestia, per raptum in cœlum usq; tertium*.

Tum *Frequens præterea per Oracula singularia ad casus quosq; gravissimos instructio*;

Tandem, præter ejusce generis alia complura, & *illa Moderatio in affectatione Satanæ adversum ipsum factâ*: ut non licuerit nisi Angelo terrificissimi Spiritus illius esse adstiti, Archistratego ipsi, malitiosissimo αὐτοπροσώπως indultum hoc non fuerit: jus deniq; nec illi permissum fuerit, nisi ad casum certum affligendi, ac limites præfixi castigationis moderatissimæ, alapæ nimirum, tantùm infligendæ.

Quod quamvis à nonnullis referatur ad aliquid, quod publicè Paulo ignominiosum extitisse videatur, putem tamen intra ejusmodi modum divinâ item moderatione fuisse constrictum, ut nemini de colaphorum hoc genere, nisi privatim Paulo, quicquam constiterit: ut hac quoq; parte auctarium aliquod divinæ in ipsum gratiæ se prodiderit. Nam quò secretiùs nobis aliquid divinæ castigationis accidit, eo nostræ coram mundo etiam

hoc

hoc dignitati gratiosiùs consuli & salveniri à DEo videtur.

Atq; utut servilis pœnæ genus quoddam esse colaphisma ostenderimus suprà: illud tamen in Paternis quoq; castigationibus locum habet, ubi delictum aliquod extemporaneâ castigatione corrigendum, vel prohibendum, videtur. Quod satis in vulgus notum, atq; apud Parentes fermè usitatum. Ut Gratia singularis ex isthac quoq; consideratione agnosci hîc à Paulo debuerit.

Hæc totuplex igitur Gratia, quæ à Domino erat Paulo præstita, & continuatione largâ præstabatur usq;: quâ adeò partim antè præmunitus erat ad munus suum; partim fruebatur etiamnum in præsens, satis esse ipsi poterat, inq; omnem modū ἀρκεῖν h. e. sufficere debebat agnosci: ut feliciter atq; expeditè defungeretur munere suo: licet sic Custos ipsi non adimeretur, ad Elationem omnem, ob nimis excellentes Revelationes illas, ab ipso prohibendam, divino consilio adjūctus.

Potest per gratiam Domini, *Favor quidem etiam ejusdem* intelligi: neq; is in tot illis, qui à nobis ennumerati sunt, Gratiæ divinæ modis ac partibus, usquam non elucet. Hîc covenit tamen magis ad id, quod ex favore prodit, respici. Quod agnovit *Calvinus*

quoq;

quoq;, cùm hîc ſcripſit in Commentariis, *Vocabulum Gratiæ hîc non favorem, ut alibi, ſed per metonymiam, Auxilium Spiritus Sancti ſignificat, quod nobis à gratuito favore DEi provenit.*

Quod cùm Paulo cum fidelibus commune fuerit, non ita generatim tantùm nobis hîc attingere viſum eſt: ſed ad illa potiùs intendere digitum libuit, quæ in Paulo ſingularis Gratiæ fuiſse liquet: ut tantò luculentiùs pateret, quæ ſit ἡ χάρις τοῦ Κυρίου, cum articulo ſic deſignata, quam ſufficere ſigillatim etiam SIBI agnoſcere debebat.

SECT. 69.

Quo ſpectent Verba à Domino prætera addita: ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται: quam & connexionem cum antecedentibus, & vim propriam eadem in ſe habeant.

QVæ in Reſponſo, poſt Deprecationem illam, Paulo divinitùs reddito, verba adduntur ampliùs, habent ea, quà per ſe ſpectantur, ſenſum ſic ferè ſatis evidentem. Non æquè tamen planum in iisdem iſtud eſt, ut quò ſeſe modo nexuq; ad antecedentia referant, itidem pateat. Nam quamvis per particu-

lam rationalem expreſsè ad illa reſtringantur, ni aliquid tamen, præter priora illa verba, cogitetur, ſubobſcurum usq; manet, quâ ratione eò pertineant.

Vt res igitur hac parte etiam planè teneatur atq; evidenter, agnoſcendum eſt, ad id ipſum etiã in his verbis ampliùs reſpici, quod Apoſtolus tacito animi ſenſu de Petitione ſuâ, & Reſponſione ſic factâ, poterat ulteriùs excipere. Nempe id cogitare Apoſtolus poterat, velutq; ex adverſo, ad reſponſum divinum, excipere: Vtut Gratiam gratus agnoſcat in ſe & circa ſe multiplicem, atq; ſufficientem, quam præſtet tot illis modis ipſi Dominus: non poſse tamen, humano judicio, ſaltem non videri probroſæ propemodum *Infirmitatis* argumentum, habere juxta ſe Coercitoris inſtar, Angelum Satan: *Indignitatis* aliquid complecti, ſufferre comitem tam terriculoſum, perpetuisq; colaphorum minis infeſtum: Videri ſic eum, qui *Magiſter* aliis ad virtutes quasq; ſublimiſsimas eſse debeat, infirmiorem, quàm ut Munere tanto, tantis etiam illis ſub gratiis, ſufficiat: dum ipſe *Caſtigatori*, ceu infirmior quispiam *Diſcipulus*, ſubeſse tam rigido ſeveroq; cogatur. Quocirca conducibilius fore, ſi abs *Cuſtode* ac *Coryceo* illo liber agere poſsit, nec tam infeſtum

in propinquo ſemper ſibi ſentiat eſſe ſocium.

Hunc quidem in modum urgere Apoſtolum potuiſſe id, quod directè petierat, plusquã evidens eſt: nec dubitandum, quin tacitis animi cogitationibus talia obtenderit, regeſſeritq;, ubi tam inſtanter, ad vicem uſq; tertiam, Dominum deprecaretur.

Et novimus ita preces, dum nihil dum impetraſſe per eas nobis videmur, repeti urgeriq; ſolere non ſimpliciter, ſed rationibus ſubinde novis additis, atq; ad exceptiones, ſi quæ intervenire rationabiliter poſſe videntur, repoſitis.

Quod dictum igitur in modum Apoſtolus in petendo, ſaltem tacitâ animi cogitatione urſiſſe potuit, ad id καρδιογνώστης Dominus respondet: Nihil nempe eſſe, quod de Infirmitate ſuâ ſic obtendat, quaſi ob illam, petitum minimè ſit recuſandum: quamvis eſſe talis ea appareat, ut trahi in probrum ſeu Apoſtoli, ſeu ipſius etiam Domini poſſe videatur, utq; obſtaculo eſſe judicari poſſit, ne muneris ſucceſſus is foret, qualem Dominus ipſe vellet. Nimirum ita comparatum eſſe cum Potentiâ atq; Majeſtate ſuâ, quâ uti ſatagat, in Sacris illis negotiis per humanam operam aliquam expediendis: ut *Potentia illa divina ſua, in infirmitate humanâ perficiatur*: Hoc eſt,

ut Ma-

ut Majeſtas ipſius tanto ſic illuſtrior evadat, Potentia ejus tanto ſic luculentiùs ſeſe exſerat. oculisq; Hominum & Angelorum velut ſpectandam ſeſe exhibeat: quanto ille, qui ceu inſtrumentum adhibetur, apparet ex ſeſe infirmior, ſeq; ipſum agnoſcere cogitur imbecilliorem.

Sic quidem ſemper major ad principale agens redit gloria, ejuq, vis ſeu efficacia lucidiùs pateſcit, ſi organon ſit & deprehendatur ex ſe tenuius vel imbecillius, quàm ut efficere id ex ſe queat, quod tamen principalis alicuius Agentis directione & moderatione prudenti ac mirandâ, per illud effici deprehenditur. Artificem mirari illum maximè ſolemus, qui ſcalpello propemodum inepto etiam, atq; obtuſo, icunculam edolare ſatagit ſpecioſam ac laudabilem.

Quod ſi in organis vivis ac rationalibus, hoc inſuper contingat: ut non tantùm ab aliis agnoſcatur, eſse ea per naturam indolemq; ſuam imbecilliora, quàm ut effectus, qui per ea nihilominus producitur, illis omnino tribui queat: ſed ipſamet etiam agnoſcere in ſe, ac fateri de ſe idem cogantur: tum verò gloria luculentiùs redundat omnis, aut certè maxima, ad ipſum agens principale, ſeu eum, qui in agendo princeps exiſtit, ejusq, *Potentia*,

ejus

ejus *Sapientia*, ejus *Bonitas*, illustrior conspectiorq; sic redditur.

Ita quidem τῆς δυνάμεως nomen hoc loco accipi à nobis convenit, ut non ad *Potentiam* solam, quamvis ad eam principaliter, respiciamus: sed ad illa simul convertamus animi oculos, quæ cum eâdem in divinis negotiis sese exerunt, *Sapientiam* puta, atq; *Bonitatem*.

Vel propterea non de robore tantùm, & virium valentiâ, τῆς δυνάμεως vocem hoc loco accipere decet: sed de *Sapientiâ* simùl: ut Sapientipotens tanto magis intelligatur DEus esse, cùm per homines operatur miranda, quanto illi & *Sapientiâ* & *Potentiâ* ex se existunt infirmiores.

Τὸ τελειοῦσθαι, sic commodissimè utiq; redditur: ut Perfectio denotetur ratione cognitionis seu perspectionis, quâ ipsa res, quæ perfici dicitur, pleniùs clariùsq; innotescat, seu pervideatur: non quà in se absolutior seu consummatior reddatur.

Facere ad verba ista luculentiùs intelligenda, potest & illud, quod *Erasmus*, hic scripsit. *Sentit*, inquit, *Christus, virtutem ac potentiam divinam, longè diversâ ratione declarari, quàm potentiam mundi. Siquidem hæc vi, & viribus innotescit, illa contrà tolerando. Potest & hic sensus* (addit idem) *accipi: Virtus divina* maxi-

maximè illustratur, cùm is, per quem fit, infirmitatis suæ conscius, nihil inde sibi vendicat: sed universam laudem uni DEo tribuit.

Benè item in eandem fermè sententiam Commentatorum sacrorum nuperi seculi haut infimus scripsit: *Videtur infirmitas nostra obstaculo esse, quo minùs suam virtutem DEus in nobis perficiat. Id non tantùm negat Paulus*, inquit ille, (Dominus dicere debebat, cuius verba sunt, quæ Paulus recitat) *sed è converso asserit, tum ritè demum perfici DEi* (suã) *virtutem, quùm infirmitas nostra apparet. Quod ut clariùs appareat, distingvendum est, inter DEi Virtutem & nostram. Nam in dictione MEa,* (ἡ δύναμίς μου) *est emphasis. Virtus MEa, inquit Dominus, hoc est, quæ hominum opitulatur inopiæ, quæ eos collapsos erigit, & deficientes revocat,* (adde hîc quæ per se lapsuris, aut exorbitaturis, ne collabantur, vel exorbitent, castigatione tempestivâ prospicit:) *perficitur in hominum infirmitate: h. e. materiam,* seu Occasionem, *habet sese exerendi, quum se prodit hominum infirmitas.*

Nec temerè idem monet, verbum, *Perfici*, hoc loco relationem habere ad hominum sensum & cognitionem. *Quia*, inquit, *non perficitur, nisi palam reluceat, ut habeat suam laudem. Nam ne homines quidem eam gustant,*

vel gustu suo satis percipiunt, *nisi priùs suæ necessitatis fuerint convicti; & statim obliviscuntur, quid valeat, nisi assiduè suæ infirmitatis sensu exerceantur.*

Notabile in verbis istis Domini, & illud est, quod dicat, ἡ δύναμίς μου τελειοῦται ἐν ἀσθενείᾳ. *Potentia mea perficitur in imbecillitate*, nec addat tuâ. Nempe sic imbecillitatem generatim spectari hîc vult, non Pauli tantùm, sed meam, tuam, ac quorumcunq; etiam, quos Dominus ad Ministerium suum adhibet: ut sic agnoscamus, DEUM, Gloriæ suæ ex nobis amplificandæ, isto velut artificio velificari.

SECT. 70.

Quo loco sit habenda Interpretatio verbi τελειοῦσθαι, *cùm redditur*, Ad finem perduci.

QVibus τὸ τελειοῦσθαι reddere hoc loco visum est, per, *ad finem perducitur*: illi, licet vim verbi eius, ratione Grammaticæ deductionis, spectasse sic probè videri queant, quatenus à τέλος h. e. finis, formatum τὸ τελειόω putatur: ratione tamen attributionis, ut ἡ δύναμις dicatur τελειοῦσθαι, abesse longiùs videntur ab eo, quod subjecto tali, sensu adeo plano, con-

congruere deprehendatur. Sunt autem talia prædicata, qualia esse à subjectis suis admittuntur.

Saltem si res expendatur attentiore animo, non perinde planum est, qui *Potentia Divina* ad finem perduci in *Infirmitate humanâ* dicatur: ut id fieri illo verbi sensu intelligitur, quem præmissim explicavimus.

Sed & ipsũ τελειόω, si rectè vereq; æstimem᷾ suæ deductionis respectu, à τέλειος, quod perfectũ denotat, evidentiùs proximiùsq; descendit, quàm à τέλος, quod finem notat. A quo τελέω propiùs deduci liquet: quod etiam finio, seu ad finem perduco significat.

Quam verbi illius deductionem & significationem non satis observitasse, seu expendisse, Interpretes nonnulli, nominis haut minimi, hoc loco videntur. Quos velim tamen ego magis excusare, dùm sic pium quendam sensum spectasse sibi visi sunt: quamvis, dum verba, uti apud Apostolum leguntur, presse exponenda sunt, præjudicium facere Lectori minùs attento eosdem hac parte noluerim.

SECT. 71.

Vulgati Interpretis, *quiq; illum sequuntur,*

Explanatorum circa hæc Domini verba, aberratio.

NImis autem illi hîc sibi imponi per *Vulgatam Versionem* passi sunt, qui cùm *Virtutem* nominari legerent, quod in Græco est δύναμις, & prætermissum pronomen, *mea*, quod in Græco est μου, cernerent, Virtutis nomen retulêre ad Virtutem, quæ moraliter existeret in Homine. In quem sensum *Liranus, Nam virtus* &c: *Dupliciter*, inquit, *potest intelligi. Vno modo materialiter, in quantum Infirmitas est materia virtutis exercendæ, scilicet Humilitatis & Patientiæ, & etiam Temperantiæ. Debilitatis enim viribus per Infirmitatem, homo temperantior redditur.*

Alio modo, occasionaliter. Nam infirmitas est occasio perveniendi ad perfectionem, in quantum homo propriam fragilitatem agnoscens, cautior redditur ad præcavendum, & resistendum peccatis, & per consequens, exercitatior in bonis, & sic fortior efficitur, propter quod & Dominus Philistæos & aliquos alios in terrâ Promissionis reliquit ad exercitium Israel. Sic Liranus.

Augustinus, lib. ad Bonifacium Episcop. c. 13. refert verba ea ad Virtutem hominis, quæ in futuro seculo perficietur.

Ambrosius, eòdem ferè illa traxit, quò

Lira-

Liranus, quasi id spectetur, *ut Devotio, dum infirmitate presura non frangitur, probata videatur: ut respondeat illi*, inquit, *quod sequitur : Cùm n. infirmor, tunc potens sum.*

Cujusmodi Expositiones, utut sensum contineant in se probum bonumq; aliquem: non tamen ad præsentem locum faciunt, ubi non *Humana Virtus*, sed ἡ τοῦ Κυρίου δύναμις, *Potentia illa Domini* spectatur, & quòd ea, per Infirmitatem in nobis existentem, illustrior reddatur, notabili effato, ab ipso Domino indicatum affirmatumq; auditur.

Quam Domini ac Servatoris nostri Sanctissimam gravissimamq; gnomam, strictè observitare, accurateq; tenere, nobis convenit. Neq; facilè est admittendum, ut ab eo, quem Dominus ipse suis verbis nobis inculcatum voluit, sensu, in alium, quamvis eundem per se pium etiam, abstrahi nos patiamur.

Quorsum aliàs hunc Pauli locum adhibeat in *Catechismo Controversiarum, Jesuita Bailius*, ut contra orthodoxos de Concupiscentiâ post baptismum residuâ, disputet, jam suprà est indicatum *Sect. 5.* In eâ verò disputatione, Versionem corruptam illâ potissimùm hac etiam parte sequitur: ut Virtutem in infirmitate perfici, urgeat: hoc est, *primos motus illos peccandi in nobis, materiam subministrare*

virtuti dicat. Quo sic fundamento nitatur clariùs liquet, si quæ hîc monuimus teneantur. Et verò eximiè eundem retundit, *Clarissimus Rivetus, in Catholico Orthodoxo,* quem Catechismo illi opposuit, Archiepiscopi Burdigalensis jussu evulgato: ut nos illi refellendo insistere hîc nihil sit opus.

SECT. 72.

Quem fructum Gnoma eadem Domini *apud nos parere debeat.*

ATq; id nunc satiùs quoq; fuerit, circa ea Domini verba à nobis tandem agi: ut sensum eorum sic agnoscamus simpliciter, eumq; nobis informandis, reformandisq; accomodemus: quàm ut operosè aliorum circa verba illa aberrationibus insistamus.

Quin igitur, dum *Domini Potentiam* per *Infirmitatem nostram* audimus reddi illustriorem, surrigimus ad eum animos nostros, quandocunq; per infirmitatem nostram nobis planè concidui videmur! Potentiam ille suam dignabitur in nobis & per nos reddere tanto illustriorem, quo ipsi ex nobis existimus impotentiores.

Quin ita Gloriæ divinæ, per *Infirmitates nostras*

nostras, vicissim quoq; velificamur: ut nec dubitemus illas, quô *Potentia Domini* fiat celebratior, publicè, si res exigat, palàmq; profiteri, non apud nos tantùm intimè eas agnoscamus.

Vasa sumus testacea, fragilia, quibus tamen divina Gratia committere dignatur id, quod thesauro contrà habendum est omni inter mortales maximo. Et quantò vasorum conditio labilior est ac tenuior, tantò gloria *Benignitatis, Sapientiæ, Potentiæq;* ejus evadit illustrior, qui tantis donis illis suis capiendis transfundendisq; eadem novit adhibere.

Admonemur hac gnomâ: (verba lubens retineo, hucq; referenda judico *Musculi Dusani*) *quâ Virtutem suam Dominus in Infirmitate perfici dicit, quo consilio suo DEus totum genus humanum, tot infirmitatibus obnoxium reddere voluerit, præsertim quod carnem nostram attinet, de quâ Dominus ipse testatur, quòd sit infirma. Ad hoc videlicet, ut sit velut officina quædam Potentiæ ipsius, in illâ & exercendæ & declarandæ magis, quàm in ipsis Angelis. Huius admoneamur, quoties propriæ infimitatis molestiis afficimur: ne undè ad laudandam providentiam erga nos Creatoris nostri permoveri debemus, inde ad impatientiam impellamur.*

SECT. 73.

Responsum Paulo sic factum, utut Repulsam involvat petiti, satis tamen accomodum *extitit* petenti.

Cùm minimè autem sic impetrârit Paulus, quod definitè rogabat: ut abscedere nimirùm ab ipso juberetur Angelus Satan: Repulsam quidem tulisse in petito videtur: at *Responsum* interim reportavit, *petenti sibi planè accomodum*.

Et verò in Petitionibus nostris, si vel humanitus eas spectemus, non semper id præstari convenit, quod definitè petitur: sed sæpenumerò magis expedit Rationes spectari atq; expendi, ob quas petatur aliquid. Quòd si illæ sunt minùs idoneæ ac momentosæ, præstat animum ab iis expediri, quàm, quod propter eas petitur, petenti omninò præstari.

Atq; sic etiam satis petito factum judicari potest, si rationes petendi tam dextrè excutiãtur, diluanturq;: ut desiderium rei antè petitæ penitùs cessare in petente possit.

Perinde se res habuisse in Spirituali hoc Pauli negotio cogitanda est: Ubi Domino pro Sapientiâ suâ visum est, ad petendi rationes potissimùm respicere: & Responso suo adil-

ad illas, id efficere in animo Pauli, ut desiderium rei petitæ exspiraret citiùs, quàm Repulsam se tulisse vel animadverteret, vel dolere posset.

Vi quidem Responsi illius, quamvis quod affectârat, non impetraret, effectum tamen in animo suo id sentire potuit: ut tranquillitate deinceps quasi novâ aliquâ gauderet, solatioq; perfrueretur divino.

Exaudiit DEus, dum erudiit: obtinuitq; Paulus, quod maximè expediit: dum Responso divino isto fuit negatum, quod ex appetitu potissimùm humano erat flagitatum.

Agnosci hîc meretur, tanquam negotio præsenti congruentissimum, quod *Augustinus* monet, *de Naturâ & Grat. contra Pelagianos cap. 23. Hoc utiq; DEus agit, ut sanet omnia. Sed agit judicio suo, non ordinem sanandi accipit ab ægroto.*

Affine eidem monito est, quod *Liranus* item habet ad hunc locum: *Infirmus, ignorans Medici processum, quando imponit sibi mordax emplastrum, rogat Medicum, ut removeat ipsum: quem tamen Medicus non exaudit ad nutum, licet exaudiat ipsum ad bonum suum, sciens infirmitatem suam aliter non posse curari.*

SECT. 74.

An quia Paulus non omnino impetravit, quod petiit, ex fide non petiisse, judicandus sit.

QVoniam tamen Paulus non obtinuit omninò id, quod deprecatione suâ quæsivit apud Dominum, ut scilicet ab adjuncto sibi maligno Animadversore evaderet immunis: fermè est, ut videri queat non ex fide rogasse, quod tam definitè ausus est rogare.

Sanè promissiones divinæ huc spectant: ut ex fide orantibus, impetrationem planè spondeant petitorum, qualium etiam cunq;. *Omnia, quacunq; orantes petitis, credite quòd accepturi sitis, & eveniet vobis*, inquit Christus, *Marc. XI.* ℣. 24.

Sed enim, dum credere sic Christus nos jubet, quòd accepturi simus, quæ petierimus cunq;, non sunt in eum verba illius sensum trahenda, quasi quidvis item, quod nobis allibeat, sic credere vel possimus vel debeamus, nos accepturos esse. Sensus quidem verborum in eum modum acceptus, absurditatum involveret nimiùm quantum multarum variarumq;. Facilè discupiat pravæ indolis homo petere, quod DEus prohibere etiam voluit, non tantùm promittere dignatus nusquam fuit.

Sic

Sic igitur omnia, quæ petierimus credere jubemur, nos accepturos, dum tanquam fideles, & tanquam Christi præceptis promissisq; insistentes, petierimus. Et cùm inquit, *credite, quòd accepturi sitis*, hoc monet Salvator, ut fiduciã de Promissis, in DEum habeamus indubiam, quæcunq; illa fuerint. Non nobis licentiam dat ex nostro arbitrio judiciove fingendi quidvis æquè promissum.

Sunt alia absolutè promissa: alia cum Conditione; cum Exceptione; cum Temperamento. Prioris generis quæ sunt, peti sic absolutè possunt, & credi quoq; debent, quòd accepturi simus, si petamus. In cæteris petitio fieri non nisi restricta potest, saltem tacito animi sensu conditio includenda Judicii Arbitriiq; Divini, adeoq; nec credere illa aliter nos accepturos convenit, quàm uti fert Divinæ Promissionis modus, Arbitriiq; de nobis Superni moderatio.

De Paulo igitur, quin ita petierit ab Adstite maligno illo liberari, ut Judicio tamen Domini committeret, quod præstandum videretur, dubitandum non est.

Petere simpliciter possumus, *ut à Malo illo liberemur*, quà salutem scilicet ille nostram nobis subvertere atq; adimere parat; quà tentationibus nos urget exitialibus. At, ut ne

cola-

colaphis nos à vitio aliquo deterreat, seu *Castigatoris* vices, ex Domini permissu, vel etiam mandato aliquo circa nos expleat; vel *Exercitator* etiam nobis ad virtutes varias, suis quibusdam molitionibus fiat: id deprecari absolutè non licet.

Estq; ita fides rebus, quæ petuntur, attemperanda, ut simpliciter nobis spondeamus, quæ simpliciter sunt promissa. Cum conditione fides expetat & expectet, quæ nec sine conditione vel exceptione Dominus pollicit⁹ est.

Quæ credere ex Promisso simplici absolutoq; possumus nos accepturos, sanè ea omnia accipimus, si cum fide petimus. Sed non item, quæ non accipimus, ea vel credere ex promisso simplici absolutoq; nos accepturos omnia potuimus: vel alio modo non credidimus, orari tamen à DEo aliquâ posse. Nam orare quoq; per fidem possumus, quæ fide tamen, an absolutè accepturi simus, nescimus.

Libet rei huiusce, seu uberiùs clariùsq; explicandæ; seu penitiùs firmiùsq; inculcandæ gratiâ addere hîc item, quæ *Commentator eruditissimus*, in eandem sententiam disserit. *Sicuti*, inquit, *petendi ratio est diversa, sic duo sunt genera impetrandi. Petimus simpliciter, de quibus certam habemus promissionem:*

qua-

qualia ſunt, Regni DEi Complementum, & Sanctificatio Nominis ejus, Remiſsio peccatorum, & quicquid nobis eſt ſalutare, ſeu ad ſalutem omninò neceſſarium. Verùm, dum hoc vel illo modo putamus Regnum DEi poſse, imò debere promoveri; hoc vel illud ad Sanctificandum ejus Nomen eſse neceſſarium, ſæpè opinione fallimur. Similiter, quod ad ſalutem noſtram ſpectat, ſæpè hallucinamur. Securè igitur & absq; exceptione, priora illa petimus. Modum verò præſcribere noſtrum non eſt. Quod ſi modum exprimimus, ſemper incluſa eſt tacita conditio.

Non ita porrò ignarus fuit Paulus, ut hoc neſcierit. Proinde quod ad finem ſuæ precationis, non dubium eſt, quin fuerit exauditus: tametſi repulſam paſsus eſt in ipſâ formâ.

Vnde admonemur, non deſpondendum eſse animum, quaſi operam perdiderimus, ubi non ſatisfacit DEus, aut obſequitur noſtris votis deſideriisq; : ſed nobis debere ſufficere ejus gratiam: hoc eſt, quòd ab ipſo non deſtituamur ſeu deſeramur. Hæc enim ratio eſt, cur miſericorditer & gratioſè interdum ſuis neget, quod impiis iratus concedit: quia meliùs ipſe providet quid nobis expediat, quàm mens noſtra ex ſe proſpicere valeat, vel imaginatione ſuâ aliquâ apprehendat.

Atq; hæc de Reſponſo ad Pauli deprecationem Divino illo, & ad animum tranquillandum conſolandumq; verè accommodato.

SECT. 75.

Quî Paulus ad Responsum Domini acquieverit, & qualiter animo sese deinceps composuerit.

SVper est, ut videamus, Quî *Paulus ad Responsum illud acquieverit*, seu, *Quomodo sese deinceps gesserit, animoq; apud se suo composuerit.*

ἥδιστα οὖν μᾶλλον, inquit, καυχήσομαι ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου, ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ᾽ ἐμοῦ ἡ δύναμις τοῦ χριστοῦ. H. e. ut Erasmus reddidit: *Libentissimè igitur gloriabor potiùs super infirmitatibus meis: ut inhabitet in me Virtus, seu potentia Christi.*

Velut consectarium quidem deducit, ex eo, quod narrárat, Responso sibi divinitùs facto. Sed interim sic simul redit, & respicit ad id, quod initio capitis huius dixerat: καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι &c.

Verè jam ex narratione interpositâ apparere poterat, quî non expediret ipsi, καυχᾶσθαι, hoc est, *pleno ore, & exerto quasi collo ebuccinare ea, quæ gloriam ipsi parere poterant*, Revelationum Visionumq; intuitu. Suppetebat ipsi quidem luculentum gloriationis argumẽtum, ex singularissimis illis & divinissimis patefactionibus. Sed de illis non expediebat

ebat gloriari, cùm alias ob causas, quas suprà jam suis locis innuimus, *sectione cumprimis 28. & 29.* tum ob periculum, quod ex adjuncto sibi Angelo Satan, suberat, κολαφίσματος.

Atq; ne tum quidem meminisse suarum illarum sublimium Revelationum & ὀπτασιῶν seu Visionum, Paulo liberum fuit, cùm maximè id agere, ad retundendos eos, de quibus *ad Coloss. c.* 11. ℣. 18. monet, conveniens videri humano judicio potuisset. Τοὺς ἐμβατεύοντας enim, ἃ μὴ ἑωράκασι h. e. *velut penetrantes sese ad ea, quæ nec viderunt tamen*, Angelicæ puta Vitæ cuiusdam & Conversationis respectu, quî licuisset graviùs retundere, quàm si ipse iis opposuisset, quæ sibi visa, ac spectata, sibi detecta ac revelata esse gloriari poterat?

At & devitare quodammodo Gloriationem illam hîc studuit, per indirectam, quâ usus est, narrationem: & periculum ob Elationem seu Gloriationem illiusmodi sibi imminens directè exposuit.

Subjungit ita tandem, ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι &c. *Lubentissimè igitur potiùs gloriabor, de Infirmitatibus.*

Non dicit ista, dum ἀσθενειῶν meminit, quasi sic explicaturus, quid per σκόλοπα prænominatum intellexerit: ut permultis, iisq; magnis etiam viris, olim hodieq; putatum est: sed ut

ad

ad id, quod antè cœperat, de Gloriatione in infirmitatibus dicere, redeat: postquam scilicet, quibus aliis de rebus gloriari præmodum posset, quodammodo significârat, atq; simùl, quâ ratione seorsum ab illâ Gloriatione prohiberetur, commemorârat. Hunc enim proprium finem narratio, post Revelationum mentionem facta, habet: ut intelligatur, singulari divino consilio, & peculiari repagulo ipsum prohiberi: ne effutiret, quod videbatur ad gloriam ejus maximè facturum.

Non ipse σκόλοψ infirmitas hinc esse notatur, sed infirmitatis causa tantùm addit⁹ fuisse intelligitur. Ut frustra sit *Cardinalis Cajetani* collectio circa hæc verba, quasi inde planè patere possit, per Sudem & Angelum Satan, ipsas infirmitates notari, seu illa sub infirmitatibus cõtineri. Sic enim ad verba isthæc subiicit Cajetanus: *Eruditum lectorem perpendere posse, quòd Sudes data Pauli carni, Angelus Satan, sub hoc genere contineatur. Nisi enim sub infirmitatis genere contineretur, non attulisset DEus pro ratione, Nam potentia mea in infirmitate perficitur.* *Augustinus* ipse etiam, quicquid cæteroquin de Stimulo illo senserit, Infirmitatem ab eo diversam in Paulo agnoscit, quâdo ob illam, hunc datum fuisse urget, *lib.* 1.

Contra

Contra Pelagium & Cœlestium: De Gratiâ Christi, cap. XI. Proculdubio si jam summa, & cui nihil esset addendum, Charitas in Apostolo tunc fuisset, quæ omnino non posset inflari, nunquid necessarius esset Angelus satanæ, quo colaphizante, reprimeretur Elatio, quæ in magnitudine Revelationum posset existere. Et cap. XII. Ideo nolenti perpeti molestiam, quâ eius cohiberetur Elatio, antequam esset in eo Charitatis ultima & summa perfectio, rectissimè dicitur: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. In infirmitate, scilicet, non ut ille putat carnis tantùm; sed & carnis & animi: quia & animus erat in comparatione summæ illius perfectionis infirmus, quando extolleretur. Proinde Stimulus carnis, Angelus Satanæ, intelligebatur datus, quamvis esset in carnalium, vel animalium, nondum percipientium, quæ sunt Spiritus DEi, comparatione, firmissimus.

Hanc igitur vim verba, quæ per particulam οὖν, collectivam seu conclusivam, *nam*, subjungit, habent: ut dicere videatur: *Erudior sic ad alios mores, quàm ut glorier de Revelationibus, ob quas me aliis digniorem censendum judicare possem. Hoc potiùs agam, idq; multò libentissimè, ut glorier de rebus, unde submissiùs de me judicare ipso cogar & contemni humanitus queam: idq; ob finem longè mihi fructuosissimum*

dignißimumq́, futurum. Gloriabor super *infirmitatibus*, ἐν ἀσθενείαις: quippe quas plures, non unam tãtùm in me sentio ac experior. Est illa sanè una non è minimis, quòd per Angelum Satan, sub disciplinâ modestiæ contineam. Custode enim & Coercitore tali opus habere, evidens est Infirmitatis argumentum. Et verò cui Sapientia ipsa divina censet illiusmodi Animadversore adjuncto opus esse, illum necesse est, infirmum existere admodum, & in prolapsiones proclivem.

Sed sunt infirmitates complures, quæ accidunt mihi, ob quas ut humanitus contemni possum, ita divinæ potentiæ illustrandæ uberior in me materia sic offertur. De his igitur gloriabor. Idq; agam ἥδιστα, h. e. *lubenter*, & *confidenter*, seu *cum jucunditate* & *svavitate maximâ*: cum alterum id, ut de Revelationibus & meâ ex illis dignitate ac præstantiâ glorier, non possim agere, nisi cum terrore ac metu, seu, ob periculum adjunctum, invitus. Hic, in gloriatione de infirmitatibus, nihil subest periculi; nihil expectandum mihi venit, quod horream: cùm in alterâ gloriatione, in quam propè abreptus fuissem, terror colaphisationis non abfuerit. Hîc contrarium mihi polliceri ejus possum, quod in alterâ erat metuendum; nempe, non ut cola-

colapho excipiar, ab Angelo Satan aſtite: ſed ut à Chriſto ipſo mihi contingat aliquid illuſtrioris Gratiæ.

Et quoniam videri poterat jam quodammodo de rebus illis eſse gloriatus, de de Revelationibus puta, dum ad eas vel obliquè innuendas acceſserat, tum gloriationem quaſi abrumpens, ſeu potiùs rejiciens, non ἥδιστα tantùm, ſed μᾶλλον prætereà de Infirmitatibus ſe gloriaturum dicit: h. e. *potiùs, fuſiùs, frequentiùs, directiùs, explicatiùs.*

SECT. 76.

Cur addat, ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ: *quidq; iſtis verbis ſignificetur.*

NE verò id fruſtra ſibi proponere videatur, connexim indicat, *quo fine,* aut *quo* cum *uſu ſuo*, conſtituere id apud animum ſuum poſsit, porroq; acturus ſit. Ἵνα ἐπισκηνώσῃ inquit, ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ. Quibus verbis perquam emphaticè ſignificat, quid ſic ſperet, quid ſic certò circa ſe eventurum expectet: dum lubenter & frequenter de Infirmitatibus ſuis glorietur, ſeu eas velut cum jactatione quadam prædicet: Quaſi in hunc modum, quid ſe ita futurum ſit, exprimeret: Cùm de Infirmitatibus meis

glorior, easq; commemoro, illarumq; intuitu me aliis præfero, vel omnibus potiùs Inferiorem abjectioremq; ostendo: tum verò δύναμις τοῦ Χριστοῦ, *Christi Potentia*, cumq; illâ perpetuò hîc conjuncta *Benignitas* & *Sapientia*, luculentior perspectiorq; in me, & supra me, evadit. Hoc inde consequor, ut quamvis malignus ille Spiritus, adstes mihi sit, & velut ad latus appositus, seu circum me oberret: supra me tamen cernatur velut *tabernaculum suum* figere ipsa illa Christi Potentia.

Reddunt τὸ, ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ, pleriq; per, inhabitet in me. *Beza*, ut emphasin magis exprimere videretur, reddit, *tanquam in tabernaculo inhabitet*.

Sed consideres mihi verbum hoc paulò pressiùs, atq; videas quàm τὸ ἐπισκηνῶσαι, differat à κατασκηνῶσαι, (quod legitur *Matt*: *XIII*. ℣. 32. & *Act*: *II*. ℣. 26.) deniq; vim particulæ ἐπὶ, tum in verbi compositione; tum in reliquâ constructione hîc adhibitæ, rectè expendas: spero, agnosces, aut subodoraberis saltem, aliud hîc notari, quàm inhabitationem: quam per verbum ἐνοικῆσαι Paulus alibi (*Rom*. *VIII*. ℣. 11.) denotat.

Meo quidem judicio, allusio quædam Emphatica in verbo eo latet: quæ verè pleneq; sic perspicietur, si ad ἐπισκήνωσιν illam animum refe-

referamus, quæ Populo Israelitico præstita fuit, cùm ex Ægypto educeretur. Ut populus ille, per ἐπισκήνωσιν illam satis notam, divinâ protectione servatus est, Pharaone quamvis proximè acriterq; insectante: ita Paulus agnovit, Divinâ Protectione, per ἐπισκήνωσιν τῆς δυνάμεως τοῦ Χριστοῦ se tutum esse, & porrò fore, cùm maximè non alios tantùm haberet insectatores, sed ipsum quoq; Satanam, per Angelum pecularem aliquem sibi experiretur colaphos intentantem.

Solatii id plenum est, si quis Potentiam Christi sciat sibi præstò futuram ad casus quosq; necessarios: utut videatur quasi ex alto & longinquo devocanda. Quanti igitur solatii censendum illud est, si Potentia ea super aliquo velut tabernaculum habeat defixum, atq; sic in omnes eius necessitates velut præsentissima & intentissima excubet.

Porrò ἡ τοῦ Χριστοῦ δύναμις, *Potentia illa Christi, seu Virtus,* ad quam Paulus verbis his respicit, dum ἐπισκηνώσεως seu Tabernaculi suprastatuendi vel figendi meminit, ex peculiari Exercitu Christi, dilucidiùs æstimanda venit: non ex eo solùm, quòd ipse in se polleat Robore Divino & Virtute infinitâ: per quam habet τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα: *efficaciam subjiciendi etiam sibi ipsi omnia:*

mnia: ut loquitur Apoſtolus *Phil. III.* ℣. 21.

Peculiaris ille *Exercitus Chriſti*, cuius reſpectu *Caſtrametatio* quædam ſupra circaq; fideles fieri intelligitur, ſunt *Angeli*, qui δυνάμεως nomine inſigniuntur, ut patet ex collatione locorum *Marc. XIII.* ℣. 25. *Luc. XXI.* ℣. 27. *Matt. XVI.* ℣. 27. & *c. XXV.* 31. Ipſi quidem Angeli Chriſto etiam ab Apoſtolo ſic adjunguntur, ſeu ſubordinati ſignificantur: ut vocentur Ἄγγελοι δυνάμεως αὐτοῦ, *Angeli potentiæ ſeu Virtutis ejus*, 2 *Theſſ. I.* ℣. 7. Per hos igitur Chriſtus ſupra Paulum, quoscunq; hoſtes experiatur, quacunq; ex ſe infirmitate laboret, qualemcunq; à latere Inſectatorem habeat Satanæ Angelum, implere id intelligitur, quod *Pſalmo XC.* ℣. 11. promittitur, & *Pſal. XXXIV.* ℣. 7. velut cum gratâ prædicatione celebratur: *Caſtra figit Angelus Domini circum eos, qui ipſum timent, & eripit eos.*

Sanè & in ipſâ illâ Chriſti, Ducis & Conſummatoris Fidei noſtræ, Inſectatione, quam Diabolus, Spirituum malignorum omnium Archiſtrategus, tentando multipliciter peregiſse refertur, *Matt. IV.* Angeli, hoc eſt, Sancti Boni, Benigniq; Spiritus illi, acceſsiſse poſtea, & miniſtraſse ei referũtur: ℣. 11. Ut Paulus, contra terriculoſum illum Inſectatorem, Electorum Angelorum miniſterium

ex ἐπισκηνώσει illâ τῆς δυνάμεως τοῦ Χριστοῦ, cum ple-
nâ omnino fiduciâ sibi polliceri potuerit.

SECT. 77.

Usus *præmissi sensus, in verbis etiam proximis, si probè perspectus habeatur, qualis quantusq́; esse possit.*

HUnc verò sensum, in verbis Apostoli etiam proximis, seu ultimis istis, si probè perspectum, animoq́; porrò etiam impressum habeamus: tam id nobis, in Infirmitatibus nostris, solatio esse accommodo potest, ut ne concidamus animis: quàm existere etiam incitamento, sub dotium eximiarum collatione, ut ne infirmitates nostras suppudeat nos quasi cum gloriatione quadam profiteri.

Ecquid enim quæso, dum infirmi nobis comparemus, inq; iis præsertim, quæ muneris sacri cuiusdam respectu supra vires nobis incumbunt, imbecillitatem ipsi nostram nimis sentimus: dum sæpenumero, qui aliis *Magistri*, seu *Eruditores* & *Castigatores* esse debemus, in haut paucis ipsi non *Institutore* tantùm Divino aliquo, sed etiam adversus prolapsiones *rigidiore* quodam *Coercitore*, vel ut ita loquar,

loquar, *Absterritore* indigemus: ecquid quæso solatio æquè nobis esse potest: quàm quòd sciamus Servatoris nostri Jesu Christi *Potentiam* illam, quæ nimirum cum *Benignitate* & *Sapientiâ* perpetuò conjuncta esse intelligitur, non in procinctu esse tantùm, ad nobis subveniendum; sed sua jam velut tentoria super nos ponere etiam solere: ut ne nobis non appareat subsidio auxilioq; omni apparatissima atq; præsentissima?

Quod ipsum, quia sic nobis contingit tantò certiùs, si ipsi nobiscum habitemus; si nostro nos pede ac modulo metiamur; si alios non despectim habeamus; si jactatione quadam dotium nostrarum tenuioribus nos non præferamus, sed ad tantò magis sublevandos infirmiores, animandosq; pusillanimes, nostrarum imbecillitatum confessores, aut etiam quasi præcones quidam existamus: quia sic inquam, contingit id nobis tantò certiùs, ut *Sapientipotens illa Christi Majestas ac Benignitas*, super nos tabernaculum suum ponat, & pro nobis velut excubet: Ecquid nos adigere in eam curam magis efficaciter potest, ut, non tantùm Elatione quadam nostri in alios delinquere, diligenter caveamus; sed omni etiam Submissione ac Tolerantiâ nostrâ, rem Christi sacram promovere enitamur?

Ferè

Ferè Res illa Christi Sacra non leviter sic impeditur, dum qui promovere eam quacunque sui Dejectione debebant, eminere præ aliis nimiopere affectant. Res omnium seculorum experientiâ extitit in Christi Ecclesiâ testatissima: quòd optimi rerum progressus, sic fuerint pessimè sufflaminati, dum qui iis præfuere, noluêre infirmitatum suarum agnitione submitti.

Atenim, imminui nobis etiam nostrarum infirmitatum professione videamur: eminebimus tamen per imminentem tantò præsentiùs inexsuperabilem illam Christi potentiam.

Circa nos sint vel ipsius Satanæ angeli, ceu σκόλοπες quidam, carni nostræ positi; adstent illi nobis, ceu tyrannici quidam præfecti, atq; indultum in nos, non tantùm licentiam, habeant, ut exerceant nos in Virtutibus: ut explorent de Sinceritate & Constantiâ: quin etiam jus quoddam & quasi munus habeant demandatum, ut in exorbitantes nos fortè, graviter animadvertant, seu con-castigatores nobis rigidi, ac flagellatores existant: *Supra nos* tamen ἐπισκηνώσειν illam Potentiæ Christi paratam scimus, quæ obumbret adversus æstum incumbentem; quæ non refrigerium tantùm præstet, sed opportuno

quoq; ſubſidio & auxilio ex alto nobis præſtò ſit : ut evadere è quovis periculo, & ὑπερνικᾷν, h. e. *vincendo ſuperiores eſſe* poſsimus adverſum omnia, quæ nos planè in nobis videbantur proſtratura.

Quod cùm meminiſse perpetuò nos faciat DEI Spiritus, ſub omni tribulatione atq; caſtigatione noſtrâ : tum verò experiri reipsâ Sapientipotens Chriſti Gratia nobis largiatur, iis maximè momentis, cùm ſupra vires ac humanum modum accidere ſeu imminere nobis aliquid videtur : ut ſic nobis contingat ex ipſo & per ipſum, tum Vigor ad ſufferendum ; tum Robur, ac Pator ad evadendũ : usq; dum tabernaculis (σκηνώμασι) corporum noſtrorum ſolutis, ſeu depoſitis, recipiamur in æterna illa tabernacula (σκηνὰς)
ſimusq; cum Chriſto ſemper iſthîc, ubi
veriſsimè ac perfectiſsimè erit,
ἡ σκηνὴ τοῦ θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων
h. e. Tabernaculum DEI
cum hominibus.
Apoc. XXI. v. 3.

Atq; de Pauli Palo tantum.

PRO-



PROBLEMA,

Cuius suprà *Sect. 38. p. 149.* facta est mentio, ab ESROMO RVDINGERO V. CL. Pientissimoq; olim eruditè tractatum, ad PSALM. LXXVIII.

An Diabolus sit administer Pœnarum Divinarum?

Libuit id hoc loco subjungere, ut Lectori cupido ad manum esse queat: cùm ea in PSALMOS Commentaria, quamvis multó accuratissima, rarioribus tamen suppetant: Et veró Eius rei Consideratio ad id, quod Sect. *dictâ, itemq; 60. innuimus, accuratiús expendendum, facere haut parū queat.*

Sic igitur Vir Clariss. ille ad Psalmi dicti Vers. *49. seu ut* numerus commatum apud alios habet, *54. (Misit in eos iram indignationis suæ: Indignationem & Iram & Tribulationem: Immissionem per ANGELOS MALOS:)* in Scholiis subjunctis disserit.

Ple-

PLeriq; Interpretes hunc verſum ſic interpretantur, ut totum tribuant angelis malis ſeu vaſtatoribus, quorum ſcilicet furori, ſævitiæ, & graſſationibus, Ægyptum, in extremâ indignatione ſuâ, permiſerit Dominus, atq; omnes illas pœnas Ægyptias, malorum dæmonum vel operæ vel miniſterio tribuunt.

Aliqui tamen immiſsionem angelorum talium, tanquam partem iræ divinæ numerant, qui ſcilicet angeli pœnarum divinarum adminiſtri fuerint, & quorum operam Deus ad hanc rem ſibi aſsumſerit, & hoc non tantum eis permiſerit, ſed etiam mandaverit.

Ego verò cùm perſuadere mihi non poſſim, diabolorũ miniſterio unquam uti Dominum, ſed per angelos bonos ſuos exequi eum credam, ſi quid facit mirabiliter, & præter naturæ ordinem, ſive beneficia conferat, ſive pœnas ſumat.

Hac igitur de cauſsâ, angelorum mentione bonos & ſanctos angelos accipio, qui etiamſi boni ſunt, mali tamen appellari poſsunt iis, quibus mortem & exitium afferunt. Ideo & ad avertendam alienam ſententiam, malui vaſtatores ſeu graſsatores Angelos, quàm, quod eſt in Ebræo, malos ſeu noxios, aut nocen-

cen-

centes appellare, etsi sic etiam non excluditur ambiguitas, Sed faciendum esset: angelos bonos ad vastandum. Sed de his pecularem disputationẽ unius ex Problematibus nostris hoc loco inserendam putavimus, quod legat, qui voluerit.

Sunt tamen qui in hoc loco psalmi, nuncios malos seu malorum, interpretantur de Mose & Aarone, qui hæc mala eis & denunciaverint & digito Dei immiserint. Sed sic tamen non excluditur ministeriũ angelorum. Nam angelus fuit qui percussit fœtus primos, non Moses neq; Aaro, sicut & alia fecerunt angeli, non Moses neq; Aaro.

An diabolus sit administer pœnarum divinarum?

Occasione quæstionis de potentiâ diabolorum & an cogitationes hominum videant, quæramus iam de hoc etiam, An hoc genere, & ministerio diabolorum, utatur etiam Deus, per quos mala immittat terris & hominibus, atq; ita tanquam lictores & tortores, atq; carnifices hos habeat, adversus genus humanum, & universitatem rerum, quam hominis causâ condidit. De hoc igitur quid ex sacris literis responderi possit, quæramus, præsertim cùm hac occasione multa, quorum in superiore quæstione mentio facta est, aliquantò pleniùs explicari possint. De

De quo verò ego in præſentiâ memini, ex Veteribus primus de hoc pronunciavit Autor Aſceticorum eorum, quæ hodie inter Baſilii ſcripta, & nomine eius circumferuntur. Scribit autem Sozomenus libro 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ἀσκητικὰ illa, à quibusdam referri ad Euſtachium Sebaſtenum, qui in Baſilij tempora incidit, & ab eodem Arianiſmi & Eunomianiſmi accuſatur in epiſtolâ ad Epiſcopos Occidentis.

Hic igitur, quod recorder, primus pronunciavit quæſtione CCLXXVI, Deum χρῆσθαι, ut ipſe loquitur, ὑπηρέταις κακοῖς, ad exercendas pœnas adverſus peccata in terris hominum, quæ ira eius immittit, hoc enim eſt malum, quod facit Dominus, quod in ſcholis malum pœnæ vocant. Peccatum autem quod à Deo punitur, malum culpæ eſt, quod non eſt à Deo, neq; Deus autor huius, ſed oſor & punitor. De quo nunc non agitur. Eſt igitur ἀσκητῇ illi diabolus ὑπηρέτης ſeu miniſter Dei, cuius rationem affert unicam ex verſu 49. Pſalmi LXXVIII. Vbi græca habent ὅτι ἐξαπέστειλεν εἰς αὐτοὺς ὀργὴν θυμοῦ αὐτοῦ, θυμὸν καὶ ὀργὴν καὶ θλίψιν ἀποστολὴν ἀγγέλων πονηρῶν. Omnino autem ibi ad verbū eſt in Hebræo de angelis malis ſeu nocentibus, per quos immiſerit irā ſuam Ægyptijs, quod & autor ille Græcus de

diabo-

diabolis accepit ſimpliciter,& ſimiliter Interpretes atq; explicatores ferme omnes, ſive hunc ſive alios ſecuti ſint.

Quæ verò huius ſententiæ ῥητὰ Scripturæ manifeſta afferri poſsint alia, ſimiliter non venit in mentem in præſentiâ. Suſpicor tamen huius explicationis in Pſalmo autores, eò delatos, etiam cap. 39. Siracidis, ubi legitur de diabolis, ἐστὶ πνεύματα ἃ εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισαι, καὶ ἐν θυμῷ αὐτῶν ἐστερέωσε μάστιγας αὐτῶν ἐν καιρῷ συντελείας ἰσχὺν ἐκχέουσι, καὶ τὸν θυμὸν τοῦ ποιήσαντος αὐτὸν ἐκκοπάσουσι, quorum ſententia eſt: Sunt ſpiritus, qui ad pœnas exequendas, id eſt, ad puniendum, conditi ſunt, quorum ſpirituum indignationi flagella fecit firma ad eam exercendam, id eſt, qui magnam potentiam habent à Deo conceſsam ad exercendã iram ſuam. Quando venit tempus, tum robur potentiæ ſuæ effundunt, & exequuntur ſeu exercent iram eius, qui fecit ſeu curavit eam. Vel etiam hanc eis indidit. Puto autem verum eſse ἐκκοπάζουσι, cùm præcedat ἐκχέουσι. Referunt quidam huc quæ ſunt apud Auguſtinum in Enchiridio cap. 100. & 102. Sed ibi quæritur an & quomodo Deus ſit autor mali, & nolens an volens ſinat malum fieri, quod nunc non agitur.

Quod ſi verò nullis aliis fundamentis

hæc

hæc doctrina & explicatio psalmi nititur, haud scio, an consistere nequaquam posśint: de quo nunc deinceps videamus. Primum autem hoc indubitatum, Ægyptiis pœnas omnes à Deo immisśas, & digito Dei, per Mosen & Aaronem perfectas, & nullius diaboli. Magi vero qui illas mirabiles effectiones Dei in Mose imitabantur, hi igitur contrà, diabolorum ministerio, & per præstigias perfecerunt, quod fecerunt, neq; ope neq; potentiâ divinâ ullâ, cuius hoc genus capax nõ est, usi sunt. De his præcedens quæstio respondit non nihil. Quomodo igitur idem spiritus autor eśse potuit eorum quæ Magi fecerunt? & quæ Moses & Aaro? Quæ verò Deus à se & suo Spiritu facit, ea vel sine mediis facit, vel ministerio ministrorum suorum. Ita jam de ministris Dei quæstio est, qui sint illi.

Constat autem hoc etiam, & hominum sanctorum operâ Deum, & Angelorum castorum uti. Et de Angelis bonis disertè scribitur, quod sint λειτουργικὰ πνεύματα, & quidem in bonum, & ad salutem hominum, ut scribit Apostolus. Sed & ad malum pœnæ, Angelorum ministerio Deum usum eśse constat. Angelus Domini cædit peste populum Israëliticum, aspectante Davide. Angelus Domini

cædit

cædit exercitum Sennacheribicum. Vbi autem uſpiam Diabolus appellatur ſimpliciter angelus aut miniſter Domini? Spiritus Domini quomodo appelletur, poſtea quæretur.

Angelus igitur Domini etiam fuit, qui interfecit primos fœtus Ægyptij, non malus, neq; Diabolus: & Dominus hos interfecit, non Diabolus, de quo & ipſo deinceps fortaſsis: & ad incendium Sodomæ pluit Dominus à Domino, non Diabolus: & angelus Domini dicit Lotho, non poſsum perdere hæc loca, antequam tu diſcedas. Angeli miniſtrant Chriſto in terris, Matth. 4. Diaboli nuſquam: imò hic ibi tentat eum. Et Chriſtus dicit, Vbi ego ſum, ibi erit miniſter meus. Diabolus ſemel eiectus cœlo & abiectus, nunquam erit, ubi Chriſtus eſt. Quod autem Deus non tantùm non utatur, in ſuâ tanquam politiâ, miniſtris Diabolis, ſed etiam non poſsit, id eſt, non velit ijs uti, eius rei argumentum ſit hoc, quòd Diaboli ſunt hoſtes & Dei & imaginis ipſius, (quod eſt genus humanum) & naturæ univerſæ, & omnis boni, quod à Deo eſt ſolo. Quomodo igitur hoſte utatur miniſtro? & eo quidem hoſte, quem ad æternas pœnas ab æterno damnavit?

At dicat aliquis, hoc valere ad declaran-

 dam

dam potentiam Dei, qui poſsit imperare etiam hoſtibus ſuis Diabolis. Quaſi vero inviti hoc illi faciant, aut aliud quàm hoc unum agant, ut perdant opera Dei omnia, & homines inprimis, quod ſua ſponte & cupidiſsimè quidem unum agunt: Vt non mandatis ad hoc, ut noceant, ſed prohibitione, & repreſsione potiùs, opus ſit, in iis locis, in quibus iuris habent tantum, qui eſt mundus. Aliud etiam eſt imperare, aliud miniſtris uti. Imperat eis, ut migrent à Dæmoniacis: ut noceant non imperat, ſed permittit eis, quod ſua ſponte expetunt, (ut cùm porcorũ gregem in mare præcipitant,) & quod ſemper faciunt, & nimis quidem. Et ſunt illi ſpiritus ἐπιχαιρέκακοι, quibus εὐωχία ſunt συμφοραὶ ἐθνῶν, epulum ſunt malorum dæmonum, calamitates hominum, ut ſcribit Syneſius.

Et ſi autem ſunt κοσμοκράτορες jam antè, (& hominum quidem, non Dei culpâ, qui ſe per peccatum ſubiecerunt iis, quibus imperare potuiſsent & debuiſsent, ut in alterâ quæſtione dictum eſt:) non tamen, ne in hoc quidem regno ipſorum, permittit eis Dominus tantum, quantum volunt & poſsunt, ante tempus, tam adverſus impios, quàm adverſus bonos, inprimis propter Eccleſiam ſuam, quæ in mundo colligitur. Et Domini terra, & quæ

quæ hac continentur, esse non desinunt, etiã-si in mundo, propter peccatum, regnat Diabolus. Quod regnum tamen eius & ipsum, in eo punietur, id est, propter ea etiam quæ iam in mundo facit, punietur: tantum abest ut sit administer iræ eius. Neq; opus est Deo ministerio Diabolorum: & hoc dignatur eos multò minùs, ut quod ipse fieri vult, Diaboli administrent.

Apud quos igitur in hoc seculo, & peculiariter aliquid facere Deus vult in utramq; partem, id est, boni vel mali aliquid, & extra quidem caussas secundas, interdum, & cum his, ad ea, ut ego existimo, Diabolorum nunquam, sed Angelorum tantùm bonorum operâ & ministerio utitur.

His rationibus minimè obstant Siracidica, si rectè considerentur. Quid enim est πνεῦμα εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισαι? Primùm diaboli non sunt conditi, sicut neq; peccatum: neq; homo conditus est, ut peccaret: etsi hoc futurum esse prævidit Deus, apud quem coràm sunt omnia, futurum nihil. Neq; prævisio hæc voluntati necessitatem affert. De quibus longâ esset oratione opus. De malis tamen spiritibus accipienda esse Siracidica, ostendunt, quæ ibi sequuntur.

Sic igitur κτίσις illa interpretanda, quòd

 post

post peccatum, illud genus, cùm ad alias res conditum sit, potestatem iam habeat in universitatem rerum totam, & ex genere humano omnes, à quibus divinitùs non arcetur. Si enim Diaboli simpliciter ad pœnas sumendas à peccatoribus, & ad cruciandum, atq; carnificinam in terris horum, conditi essent, quis ipsos tandem puniturus esset & cruciaturus? Sic enim tamen res deferretur ad Angelos bonos, & hi fierent carnifices Dei, non Diaboli.

Sed scriptum est, & condemnatum iam esse Principem mundi huius, & ignem ipsi, & angelis eius, ab æterno præparatum esse pœnis ipsorum. Hic igitur ignis, ut appellatur, hoc faciet, ad incorporatas has naturas, & genus hominum corporatum, neq; angelorum sanctorum ministerio, ad hanc rem ampliùs opus erit. Et acclamant Diaboli, in historiâ Euangelicâ, Christo, quid venisti nos cruciare ante tempus? Nihil autem est de his rebus, quod sciam, patefactum aliud.

Hic verò spiritibus in hac vitâ permittit reiectos, & ad desperatum modum (ut humanitus loquamur) profanatos homines, Dominus, & regno ipsorum, non aliter, quàm porcos Gedarenicos. Qui spiritus, ut semper, ita tum inprimis, naturâ hominum, (ut univer-

Vniverſitate rerum univerſâ,) ad perniciem ipſarum abutitur. Sic dicit ibidem Siracides, Ignem & mare, & famem & mortem, ad pœnas hominum condita eſse, πῦρ καὶ θάλασσα καὶ λιμὸς καὶ θάνατος, ταῦτα εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισαι: & dentes ferarum, & Scorpiones, & gladiorum ferramina, ad internecionem impiorum. Poſt peccatum enim nimirum hanc vim nunc hæc habent, cùm initiò in uſum hominum bonum condita ſint omnia, & non ut tortores ſint hominum, ad quæ rurſus novâ ſcholâ opus fuerit.

Sicut igitur natura univerſa ſubiecta eſt vanitati, quæ & ingemiſcit hoc nomine: ita hæc, quæ ad ſalutem hominis condita eſt, & quæ in hac, ſalutaria piis omnia, ea impiis diabolorum operâ, & propter peccata, in pœnas & malum vertuntur: ſicut ibidem ſcribit Siracides: quibus ad exitium impiorum utitur, ut alios igne, alios aquâ, alios ferro perdat. Quæ tamen eluvio, interdum etiam pios, occulto iudicio Dei, ſimul abripit. Mors autem & fames non ſunt aliter condita, quàm peccatum & diabolus. Itaq; & diabolus ſpiritus Domini alicubi nominatur, nimirum quia fecit & creavit illum ſpiritum bonum, & potentem, & angelum lucis, ſed in veritate non perſtitit. Ideo ea, quæ in ipſo condi-

 ta ſunt,

ta sunt, corrupta sunt universa, sicut in homine, qui peccavit, & στέρησις hæret in naturâ conditâ, tam diabolorum, quàm hominum.
Sicut igitur homo est imago Dei ex conditione primâ: ita Diabolus est spiritus Dei, ex conditione primâ; στέρησις verò, in utroq; ab ipsis est, non à Deo, Volente an non volente, nunc non quæritur, cùm instaurârit naturam generis humani, diabolorum non item. Etsi de malo in naturâ sic censeo, Non esse hoc rem in naturâ ordinatam, atq; ita neq; diabolũ, neq; peccatum, quorum neutrum, ut in scholis loquuntur, intendit Dominus. Omnia per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, & quæcunq; Deus fecit, bona sunt omnia. Sed ad ea, & ex iis, quæ fecit posteà extiterunt, quæ ipse neq; vult, neq; fecit, sed odit & punit. Ideo ab ipso non sunt.
Neq; sic etiam loquor, ego quidem, ut conservari hæc à Deo dicam, quæ odit & punit: neq; sequor, quod de generali conservatione dicitur. Sed conservat Deus naturam à se conditam, atq; ita ex consequenti conservantur ea, quæ in hac hærent, sicut quamdiu rota conservatur, quod rotæ adhæret, cùm rotæ artifex rotam quidem efficiat ex ligno, sed non etiam lu-
tum

tum adhærens faciat aut allinat. Etſi peccatum non eſt lutum aut ſubſtantia, ſed στέρησις, ut aliquoties iam dictum eſt, quâ conſideratione hæc ſimilitudo minùs congruit. Vector tamen ordinariè onera vehit, non lutum, neq; hoc à vectore redimitur. Sed qui fides, aut fiſtulas, aut inflationem harum, in iis quæ ἐντατὰ ſunt & ἔμπνευστα corrumpit remittendo, intendendo, impediendo, magis repræſentat peccatum, cùm in tali corruptelâ ſit ὑλικόν.

Quod autem additur apud Siracidem ἐν καιρῷ συντελείας ἰσχὺν ἐκχέουσι καὶ τὸν θυμὸν τοῦ ποιήσαντος αὐτοὺς ἐκκοπάσουσι, etſi ſic etiam aliquis interpretari poſset, diabolos ſub finem mundi, & appropinquante jam tempore judicij eius, quo æternis pœnis adiudicabuntur, ipſi & mēbra ipſorum, hoc igitur tempore eos furere immaniùs, & omnem potentiam ſuam effūdere, & iræ indulgere ei, quâ ipſis uti ab autore rerum conceditur, qui & propter iram ſuam adverſus peccatum, huius iræ furorem ipſos furere ſinit: hoc tamen potiùs, & ſolum dici videtur, quando venit tempus, quo licet hoc eis permiſsu divino, &c.

Sed non libet in præſentiâ plenam explicationem Siracidicorum inſtituere. Si quid dicit tamen aliud, quàm quod nos inter-

pretamur, non possum autori illi plus crede-re; quàm quantum Scripturæ testimoniis do-cere potest. Scripta etiam cuiusquam con-tra doctrinam patefactam, & analogiam fi-dei interpretari, inscitia est, aut calumnia.

Sit igitur summa hæc. Quicquid & sem-per ab initio fecerunt, & in hoc furore suo ul-timo faciunt Diaboli, non facere eos manda-to Dei ullo, multo minùs in ministerio Dei, sed, ut sic dicam, pro iure suo, quod habent in naturam, & genus humanum, propter pec-catum, cùm ante etiam adhuc peccatum, & integrum adhuc hominem, attentare non dubitàrint: Neq; in Christo ipso, ideo quòd homo esset, hoc facere omiserint, ut nunc plus iuris eos habere, & plus posse in homi-nes, & tentandos & exercendos, dubitari non posit.

Sed quicquid in hoc genere habeant, & exerceant, iuris & potentiæ, non desinit ta-men, adversus hæc, interponere suam potenti-am Deus, ut in hoc regno etiam suo, diabo-li, tamen non posint, quæ volunt omnia: Et sicut porcos Gedarenicos, ita multò mi-nus homines, quos volunt, & quando volũt, & quomodo volunt, affligere & perdere, ante-quam Deus hoc facere, peculiari consilio suo sinat.

Nihil

Nihil curat Deus per diabolos: non sunt hi pars politiæ eius, non ministri, non tortores, non carnifices Dei. Et sicut Christo, ita Deo etiam, nihil est commune cum Beliali. Sed quod suâ sponte volunt & agunt, & quod de quibusdam eis licet, hoc ut faciant, eis, ut hostibus suis, & hominum & operum Dei omnium, & non ut ministris, permittit. Itaq; & nomine & imperio Dei nihil exequuntur: Sed ab eo quod ipsi volunt, & propter peccatum possunt, interdum à Deo non arcentur.

Ita in historia Achabica, 3. Reg. 22. offerunt à se, quod velint esse spiritus mendacij in ore prophetarum. Et si permittit eis sæpe etiam, ut pios exerceant, sicut de Iobo disertè scribitur. Contrà hanc potentiam diabolorum diriguntur preces Formulæ Dominicæ: Ne tentemur supra vires nostras, & ut liberemur à malo, vel γενικῶς à malis omnibus; vel etiam à Beliali, qui est πονηρὸς, & summum quidem malum.

Solus Deus, per se, & Angelos, & Vicarium Magistratum, punit, & vindicat eorum peccatum in hac vitâ: Solus item in alterâ, in quâ & ipsâ diaboli non erunt tortores, aut pœnarum divinarum administri, sed harum cum impijs socij, in eo, qui ignis appellatur æternus. Est enim ignis ille paratus diabolis,

& angelis, & gregalibus, & impiis universis, sicut suprà diximus. Et regnum principatusq; diabolorum tantùm durat in hoc mũdo. Et ultimus dies sternet hostes Dei universos, ut nullum regnum tum superfuturum sit ἀντίχριστον, quæ sunt in hoc sæculo diaboli, & impiorum regna. Illæ autem locutiones, Deus facit malum, Diabolus est spiritus Domini malus, factus ad pœnas; mare & ignis pœnæ sunt, & similes, figuratæ sunt, & explicandæ ita, sicut suprà dictum est.

Neq; hic valet regula, quod quis facit per aliũ, per se fecisse videtur: cùm quod diaboli faciunt, de mandato DEi non faciant: & Deus nõ intẽderit diabolos & peccatum, non minùs, quàm natura nostra nõ intendit &c. ut suprà dictum est, etsi de his peroperosè quæritur.

Ex his igitur versum 49. Psalmi LXXVIII. sic interpretor, ut mentionem Angelorum malorum, non de diabolis accipiam, id est, malis & reiectis à Deo angelis, vel ut liber Regum loquitur, malis Dei Spiritibus, qui afflixerint Ægyptum, & percusserint fœtus primos, &c. Sed de bonis & sanctis Angelis, qui & soli ministri sunt Dei, ut dictum est, diaboli verò nunquam. Etsi autem angeli illi boni sunt, mali tamen appellari possunt, & reverà mali & mortiferi fiunt iis, in quos graſ-

san-

ſantur, & quos percutiunt, & ſignificat ſanè hebræum, malos ſeu noxios vel etiam nocentes angelos.

Erunt igitur mali tum, quando à Deo, ut miniſtri eius, & ut hominum, ita Dei etiam λειτȣργικὰ πνεύματα, ad puniendos & cædendos homines mittuntur, & non ad defendendos & protegendos. Quando autem exequuntur pœnas divinas, non ſunt adminiſtri in bonũ, ſeu rei bonæ ἁπλῶς, ſed πῶς, & diaboli multos ex iis impiis, qui à Domino cæduntur, ſæpe mallent diutiùs conſervari, ad damna Eccleſiæ, odio Dei & piorum.

Angeli tamen boni, cùm perdunt & perimunt malos, ſic etiam ſerviunt gloriæ Dei, in exequendâ iuſtâ irâ eius. Sed mali angeli cùm affligunt pios, & impios, ſerviunt illi quidem & indulgent libidini ſuæ per ſe, ſed ſimul inuiti gloriæ Dei ſerviunt, per accidens, & maximè cùm pios cruciant, &c.

Etſi autem quid in præſentiâ de hac quæſtione ſentiam, expoſui, relinquo tamen rem im medio, de quo quæratur ampliùs.

☞ (:) ☜

HISTO-

HISTORIÆ,

Quæ in Tractatione præmissâ sic quadam alicubi, breviter duntaxat innuuntur, cùm multò illæ existant memorabilissimæ, Amicorum quorundam monitu, addi hîc, pleniore Enarratione ex suis Scriptoribus, ista potissimùm etiamnum debuêre.

Ad Sect. 14. *p.* 57. *De* P. Francisco Aquilano, Concionatore Romano, *In Anatomiâ Pontificiâ Francisci Albani Th. D. cap.* 13. *commemoratur, quid pro Concione protulerit, in hunc sensum.*

Cùm concionaretur aliquando Pater Aquilanus, ad S. Laurentii in Damaso, narrare occœpit, sibi dum sermonem sub vesperam seram sequenti mane habendum meditaretur, accidisse, ut fores audiret à quopiam pulsari suas. Eum se inclamasse, ut ingrederetur liberè: cùm à meditatione surgere, progrediq; non liberet. At jubenti haut illum paruisse tamen, sed usq; præ foribus pulsantem stitisse. Tum igitur exsurrexisse ipsummet, cum indignatione, visurum, quid adesset hominis, fortè eidem nec nodosiore cingulo suo parciturum. At enim, foribus adapertis S. Paulum præ illis stantem offendisse: quem quidem vehementer miratus fuerit, quî Romæ auderet comparere, cùm haut

haut pauca ſcripſerit hodiernis Romanenſium dogmatibus parum conſentanea. Non ceſsaſse ſe tamen, quin virum tantum comiter mox alloqueretur: Et, pro more Gentis ſuæ, Siate il benvenuto, Meſser S. Paulo, diceret: h. e. Adventus tuus, O Paule Sancte pergratus eſt mihi: Ecquid autem eſt, quod apud me negotii geras. Ego verò, reſpondiſse Paulum, hoſpitio perfrui tuo in hanc noctem cupio. Annuiſse ſe, et cum reſtarent, quæ pro Concione in craſtinum habendâ meditaretur, monuiſse, uti interim in ſuo iſthîc ſtramento decumberet, ab itinere quieturus. Ibi tum verò, Paulum, paulò poſtquam decubuiſset, obvolvere ſeſe cœpiſse, nec leviter ingemiſcere: ut quid ſe fieret, ſciſcitandum duxerit. Quo facto, regeſsiſse ipſum, poſt multā tandē hæſitationem: Quid angat quæris? *Datus eſt mihi Stimulus Carnis.* Tum verò contrà, ſe exclamaſse: O Sancte Paule, tecumne ita etiamnum agitur? Si tuæ ſe res hunc in modum habent, ſatiùs utiq; fuiſset, ad Romanos Epiſtolam Te non ſcripſiſse. Credideram hactenus te in cœlo tertio, in quod uſq; ſubreptus fuiſti, approbè evaſiſse caſtratum. Sed enim nunc præclarè agnoſco, Nos perinde omnes, Monachos Sacrificulosq;, Petrum Paulumq; in noſodochio

eodem

eodem omnes attineri, Cypridosq; cesto usq; existere obnoxios.

Sed verè fabularis isthæc est Historia, quāvis id dilucidè doceat, quod spectavimus. Dignior est, quæ contrarium docere potest altera, spectatq; ad

Section. Eand. p. 39. De Jacobo Fabro Stapulensi, Theologo Sorbonico, ***quem*** MARGARETA ***Valesia***, NAVARRÆORUM REGINA, FRANCISCI I. ***Galliæ Regis Soror, Pietate Heroina, & Virtute ac Literis laudatissima, Novi Testamenti Vulgatæ Versionis Emendationem, & Purioris Religionis instaurationem fortiter aggressum, exulem tutata est. De quò sic habet Narratio apud*** Hubertū Leodium, ***atq; ex illo apud Bucholzerum.***

QVadam die misit ad eum REGINA, & se velle cum eo prandere dixit, convocatis aliquot doctis, quorum confabulationibus mirè oblectabatur. Inter prandendum autem cœpit Faber vehementer contristari, & subinde lachrymari. Eorum causam dicere cùm rogaretur, accusareturq; à Reginâ, quòd pransum apud se venisset, ut læta fieret, ipse verò tristaretur: Tandem inquit, & quî possem, ò Regina Serenissima, esse lætus, aut alios exhilarare, omnium, quos terra sustinet, scele-

ſceleratiſsimus. Et quod tantum admiſiſse potuiſti ſcelus, inquit illa, Jacobe, qui viſus es ſemper ab ineunte ætate ſanctiſsimè vixiſſe? Ego, inquit, ſum *ætatis centum & unius anni, purus ab omni contagione muliebri*, & nihil recordor me admiſiſse, quo gravi Conſcientiâ diſcedere ex hoc ſeculo reformidarem, niſi unum, quod expiari poſse non confido. Cumq; illa urgeret ad aperiendum, vix præ lachrymis tandem inquit: Quomodo ante ſummum Dei tribunal conſiſtere potero, qui ſanctum Filii ſui Jeſu Chriſti, Evangelium purè & ſincerè multos docui, qui doctrinam meam ſecuti ſunt, mille tormenta & mortem ipſam conſtanter pertulerunt: Ego verò malè conſtans Doctor effugi, & cùm tantæ & tam provectæ ætatis, iam vixiſsem ſatis ſuperq;, neq; mortem ullam reformidare, imò percupiiſſe debuiſsem, clanculum me ſubduxi, & Dei mei præceptum turpiter deſerui.

Ad quæ cùm Regina, ut erat eloquentiſſima & plena divinorum ſermonum, multa diſseruiſset, & rationibus ac exemplis docuiſſet, multis bonis & ſanctis viris, qui cum Deo regnarent, idem obtigiſse: neq; deſperandum de Dei miſericordiâ & bonitate unquam, & pleraq; in hanc ſententiam, qui aſſidebant, adderent: Confortatus tandem inquit:

quit: Ergo nihil reſtat, niſi ut hinc ad Deum migrem, ſi libet, condito meo teſtamento: neq; ultrà differendum ſentio, quia à Deo me vocari intelligo. Deinde intentis in Reginam oculis: Ego, inquit, te hæredem meam inſtituo: Concionatori tuo Magiſtro Gerardo libros omnes meos do, lego: Veſtes & quicquid inſuper habeo, pauperibus relinquo: cætera Deo commendo.

Ad quæ ſubridens Regina, Jacobe, inquit, quid ad me de tuá hæreditate redibit? Negotium, inquit, diſtribuendi bona inter pauperes. Eſto, inquit illa: Juro, hanc hæreditatem mihi gratiorem fore, quàm ſi Frater, Francorũ Rex, me ſuam hæredem nomináſset.

Lætior deinde viſus Jacobus ait: Opus habeo, ò Regina, aliquâ quiete: Eſtote læti interim & valete: Declinavitq; in proximum lectum. Et cum putarent illum dormire, obdormierat in Domino, nullis ſignis malæ valetudinis editis, quod volentes ipſum exſcitare, vehementer admirati, jam tum exſpiraſse. Hunc exitum habuiſse ſanctum procul dubio virum recitabat Regina, quem honorificè tumulari fecit, & marmore, quod pro ſe exſcindi fecerat, contegi voluit.

Hæc ex Hub. Thom. Leodio Bucholz erus: quæ eadẽ recitat quoq; in Chronico Chronicorum Eccleſiaſticopolitico Ioan. GValtherus Belga: quem Ianũ Gruterum fuiſse quidam ſuſpicantur.

Sect. 1. *pag.* 6. *post lin.* 11.

Qui antè sesquiseculum editus est, *Interpres Germanicus*, Anno scil: 1480. is adhibuit hîc vocem, Gärte, quæ tantundem valet ac Latinum, *Ferula*. (quâ voce nonnemi-nem hic etiam usum esse videbis p. 191. lin. 17.) aut nomen Synonymum alterum, Germanis usitatum, Rutte. Verba *Versionis* istius, quantum hunc Contextum atti-net, addere Lectoris eius gratiâ libet, qui cupidus forsan fuerit Antiquitatis Germa-nicæ hac etiam parte cognoscendæ, utq; sic occasio simûl præbeatur, profectuum intra sesquiseculum nostro ævo secutorũ, & eum gratiis erga DEum, expendendorum. *Sic igitur ea habent.*

Vnd mich villeicht die grösse der eröffnungen icht erheb / der gärte meins fleischs ist mir gegeben der engel Sathanas/der mich hals-schlecht/darum ich bat den Herren zu drey-en malen / das er schaide von mir / vnd er sprach zu mir/ Dir begnug meiner genade Wan die krafft Christi wart volbracht im siechtum. Darumb geren ere ich mich in meinen siechtumen / das die Kraffte Christi entwon in mir.

Ad istam quidem Versionem si illi atten-

dissent animum, qui isto etiam seculo ad *Stimulos Venereos* verba hæc retulêre, faciliùs utiq; agnoscere diversum quid potuissent, quàm pleriq; omnes scriptis Latinis suis proditum reliquére.

Sect. 47, p. 183. post lin. 5.

Legi porrò eadem hæc possunt in Editione Wittenbergensi Germanicâ Postillæ Ecclesiasticæ D. M. Lutheri, ad Dominicam Sexagesimæ.

Sect. 48. p. 193. post lin. 9.

Et cùm Stimulatorem Carnis dicere voluit, debuisset potiùs, Stimulatorem Carni oppositum, seu appositum, scribere: qui illi scilicet cohibendæ inserviret: nec ad incitationem libidinosam illam, quod Pontificiis Dd. plerisq; etiamnum hîc placet, referre verba ea, proclive sic usq; mansisset.



Corre-

Correctim legatur.

Pagi.
1. *l.* 19. ἵνα
20. παρεκάλεσα
3. *l.* 10. Sufficit
5. *l.* 3. *Vulgato*
6. *l.* 4. τῆ
25. *Myrothecio*
26 *sit*
7. *l.* 17. *agnoſcenda*
33. *l.* 27. ἀντικεῖ
36. *l.* 16. arbitror
38. *l.* 4. *Clave*
ſic alibi deinceps
l. 6. indicat
40. *l.* 23. *Pauli*
41. *l.* 1. *dit*
l. 24. *uterq;*
45. *l.* 2. *niū*
l. 28. *præſertim*
47. *l.* 15. tela
20. *quo*
51. *l.* 20. *denotari*
58. *l.* 28. *præmoniti-*
onis ergò
60. *l.* 27. nocte dieq;
61. *l.* 11. *bene*
64. *l.* 19. *luculentiùs*

Pagi.
l. 27. *Illa Meto-*
nymia
70. *l.* 28. *Tiberii*
73. *l.* 24. *initurus gra-*
tiam
82. *l.* 21. *tanquam*
83. *l.* 21. *eſt Concu-*
piſc:
87. *l.* 9. *Marc.*
89. *l.* 4. *quòd*
91. *l.* 14. *Expiationi*
92. *l.* 16. *Pontificiis*
94. *l.* 16. *ratiocinari*
96. *l.* 11. *accommo-*
datè
Sic deinceps alibi
in voce iſta τὸ *m* du-
plicare Syllabothe-
ta ferè neglexit.
102. *l.* 16. probabilis
117. *l.* 24. *ſimpliciter*
123. *l.* 16. *Sexto*
l. 17. *diceretur*
122. *l.* 14. *Si*
124. *l.* 3. dele *in* alterū
128. *l.* 11. ſentiendum
l. 17 *Ne*

Pag.
l. 17. *No*
137. *l.* 15. *Explicatio*
139. *l.* 25. *enuntiatio*
141. *l.* 19. *linguâ*
142. *l.* 7. *ut pro*
147. *l.* 11. *occurrit*
159. *l.* 2. *rectissimeq́ʒ*
160. *l.* 27. σκολάπεσι *mu-*
nitâ
167. *l.* 12. *excitandis*
169. *l.* 17. *Lexico-*
175. *l.* 18. *pugnantium*
179. *l.* 19. *vehementis-*
simè

Pag.
184. *l.* 18. miserrimè
192. *l.* 13. *protensâ*
196 *l.* 4. *propinquo*
199. *l.* 4. *LXXXIV*
208. *l.* 18. *Is usus*
28. *nimirum)*
216. *l.* 16. excitari
218. *l.* 17. *Spiritu*
220. *l.* 11. *contemtus*
l. 27. *Act.*
235. *l.* 21. *Increpatio*
245. *l.* 25. *occasionem*
267. *l.* 1. *subveniri*
268. *l.* 14. *praeter ea*





Uechner